UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

**Chamier, Daniel**

**Frankfurt, 1627**

Liber decimus, De oecumenico pontifice

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-914

Visual Library

probandi ſunt: quia vnum oportet eſſe in toto orbe Epiſcopum Oecumenicum!

XVII. Atqui (inquient) eam Cathedram ſuper Petrum fundatam eſſe dicit. Reſpondeo: primum hanc lectionem non eſſe certam. Nam Pamelius agnoſcit ſolum Manutij codicem ſic habere: reliquos omnes pro Petro, Petram; tam editos, tum manuſcriptos. Et quanquam alibi legatur, Cyprianum dixiſſe ſuper Petrum fundatam Eccleſiam: tamen non debuit diſcedi à codicum plurimorum conſenſu: tum quia vtrumq; non male dicitur, & ſuper Petram, & ſuper Chriſtum: tum quia hoc loco nõ de Eccleſia, ſed de Cathedra ſermo eſt. Secundo, etſi ſuper Petrum legamus: ſic Cyprianũ loqui de quolibet vno Epiſcopo, in qualibet vna Eccleſia: vt dicat, vnicum Epiſcopum cuiuslibet Eccleſiæ fundatũ eſſe ſuper Petrum: hoc ſenſu, vt in Petro docuerit Chriſtus quid in ſingulis Eccleſiis obſeruandum eſſet, quum eum conſtituit primum inter duodecim: qua de re plura in proxima Controuerſia, de Petri primatu.

XVIII. Quartus locus, ex Hieronymo contra Luciferianos, *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exſors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes.* Hunc locum, tum alii, tum Pamelius citauit annotationibus in 55. Cypriani.

XIX. Reſpondeo, ab Hieronymo, & Eccleſiam intelligi quamlibet, & Epiſcopum quemlibet appellari ſummum ſacerdotem: phraſi prorſus trita & idẽtidem apud veteres ſcriptores Eccleſiaſticos obuia: cuius exempla plurima à nobis colligentur libro proximo. Nunc ſufficiat Tertullianus libro de Baptiſmo, c 17. quem locum eo libentius hic adſcribo; quod tam ſit huic ſimilis, vt non magis ouum ouo. *Supereſt*, inquit, *ad concludendam materiolam de obſeruatione quoq; dandi & accipiendi Baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet ius ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen ſine Epiſcopi autoritate, propter Eccleſiæ honorem: quo ſaluo ſalua pax eſt.* Nullus hic cauillandi locus, cũ diſerte ſummus ſacerdos, explicetur Epiſcopus. Quin ipſe Epiſcopus Amerinus in Hieronymo notauit: *Summum ſacerdotem Epiſcopum vocat.*

XX. Quanquam, quid teſtibus opus eſt, cum ipſe contextus ſit perſpicuus? Quem paulo plenius deſcribam. *Non abnuo*, inquit, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptiſati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem S. Spiritus manum impoſiturus excurrat.* Et paulo poſt, *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptiſatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum S. quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui, diſce hanc obſeruationem ex ea autoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus S. ad Apoſtolos deſcendit: Et multis locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius ſacerdotii, quam ad legis neceſſitatem. Alioqui ſi ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit lugendi ſunt qui in viculis aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptiſati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inuiſerentur. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exſors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſijs efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit vt ſine Chriſmate & Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeat baptiſandi.*

XXI. Hæc Hieronymus, in quibus nota. Primo, quæſtionem eſſe de Baptiſmo, quem Presbyteri Diaconique conferant quidem, at non ſine permiſſione Epiſcopi: tum de manuum impoſitione ad recipiendum Spiritum S. quæ ad ſolum epiſcopum pertineat. Quæ vtraq; quæſtio ſoluitur ab autoritate ſummi ſacerdotis. Itaque neceſſe eſt, eundem eſſe epiſcopum, cuius ſit imponere manus, & ſummum illum ſacerdotem. Quid enim ineptius Hieronymo, ſi eſſent diuerſi? Et ſi iſte eſſet Oecumenicus Pontifex? Nullo enim medio hæ partes connectuntur: Neceſſarium eſt vnum eſſe Oecumenicum Pontificem: Ergo Presbyteri, & Diaconi non poſſunt manus imponere. Secundo, nota comparari ſummum Sacerdotem cum Presbyteris, & Diaconis: ridicule ſi ille ſit Oecumenicus. Nam inter eum & presbyteros interſunt alij gradus, & quidem altiores; ex quibus ſi tacere voluiſſet Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos: at ſaltem Epiſcopos cur omittebat? Tertio, nota tot ſchiſmata futura, quot ſacerdotes, & compara cum illo loco ex epiſtola ad Euagrium, de quo alias plura erunt diſputanda: cum affirmatur ad vitandã ſchiſmata, vnum reliquis præfectum. Nam is Epiſcopus eſt manifeſte, non autem Oecumenicus.

*FINIS LIBRI NONI.*

# LIBER DECIMVS, DE OECVMENICO PONTIFICE.

## Caput I.

### *DE CAPITE ECCLESIÆ.*

REFVTATIS Papiſtarum argumentis; iam Catholicorum enumeranda ſunt, & vindicanda ab omnibus calumniis. Primum hoc eſto: Si Chriſtus eſt totius eccleſiæ caput: ergo nullus alius. At prius verum: Ergo & poſterius. Antecedens patet ex his locis: Ad Eph. 1. *Et omnia ſubiecit eius pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Et 4. *Veritatem ſectantes cum charitate prorſus adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus.* Et 5. *Vir eſt caput vxoris, vt & Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: & is eſt qui ſalutem dat corpori.* Ad Coloſſ. 1. *Eſtq; caput corporis Eccleſiæ.*

II. Conſequentia vero patet, quia nullum corpus non monſtroſum plura habet capita: Eccleſia vero non eſt monſtroſum corpus. At ſi Chriſtus eſſet caput; aliuſq; item homo mortalis etiam caput, vt Papiſtæ aſſerunt de Oecumenico Pontifice, plura eſſent capita nempe duo. Et confirmatur ex Gregorio Pontifice Romano, Epiſtola 36. libri 4. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum; qua inuehitur in ſuperbiam Ioannis Conſtantinopolitani, Ex eo, inquit, *in quo ſedebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, iactantiam ſumpſit, ita vt vniuerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia quæ ſoli vni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per elationem pompatici ſermonis eiuſdem Chriſti audet ſibi membra ſubiugare.* Rurſus Epiſtola trigeſima octaua ad ipſum Ioannem, *Certe Paulus Apoſtolus quum audiret quoſdam dicere, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici per quam membra eius aliis quodammodo ſe capitibus ſociabant, vehementiſſime perhorreſcens exclamauit dicens, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptiſati eſtis? Si ergo illa membra Dominici corporis, certis extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis ſubiici particulariter euitauit, tu quid Chriſto vniuerſalis ſcilicet Eccleſiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere?* quibus tam vehementibus verbis aut nihil prorſus, aut hoc dicit Gregorius; quandoquidem Chriſtus ſit vniuerſalis Eccleſiæ caput, nefas eſſe quenquam alium hunc ſibi honoris titulum adſcribere. Baſilius in Aſceticis, procemio de Iudicio Dei. κρατούσης δηλονότι καὶ συναπτούσης ἕκαστον τῷ ἄλλῳ πρὸς ὁμόνοιαν τῆς μιᾶς καὶ μόνης ἀληθῶς κεφαλῆς, ἥτις ἐστὶ Χριστός: *Continente, & aptante vnumquodque alteri, ad concordiam vno illo ſoloque vere capite, nempe Ieſu Chriſto.*

III. Papiſtæ concedunt antecedens: Eſt enim euidentius, quam vt negari poſſit, abſque deſperata impudentiæ nota. Quid igitur? Conſequentiam obſtinate negant: variis conquiſitis diſtinctionibus. Alphonſus de Caſtro negat propterea corpus Eccleſiæ eſſe monſtrum biceps: quoniam Petrus non ſit caput æquale Chriſto; ſed caput ſub Chriſto. Chriſtum enim eſſe primum & ſupremum caput: Petrum vero nõ eſſe caput primum totius corporis, quod eſt Eccleſia; ſed Vicarium, h.e. Chriſti loco ſubrogatum, & caput ſecundum poſt Chriſtum, hoc eſt, caput aliorum omnium à Chriſto. Ita conſtare non eſſe duo capita eiuſdem corporis totalis: quoniã illius corporis totalis ſolus Chriſtus ſit caput: & membrum vnũ ſit Petrus, cæteris tamen præſtantius. Corporis vero myſtici, quod ex aliis hominibus à Chriſto coaleſcit, Petrum eſſe caput: & ita non eſſe caput totius corporis integri: quoniam non ſit caput reſpectu Chriſti, qui ad hanc Eccleſiam pertinet.

IV. Hactenus Alphonſus, obſcure, & perplexe: vt ſatis appareat ipſum ſibi vim feciſſe, ac quaſi contra ſtimulos calcitraſſe: adeo ſudat, hæret, reperit. Nec aliter certe poteſt fieri: quoties veritati, & veritati manifeſtiſſimæ bellum indicitur. Videtur autem dupliciter diſtinguere: primo, Caput, in primum & ſecundarium: deinde Corpus, in totum ſiue integrum & myſticum, ſiue conſtans ex aliis hominibus à Chriſto. Nobis vtraque hæc diſtinctio ſeorſim conſideranda, & prius hæc poſterior, quæ Alphonſo peculiaris eſt, non enim memini alibi legere: alteram vero plerique omnes amplectuntur, ſinguli que illuſtrant; vt neceſſe ſit nos in ea diutius hærere.

V. Corpus igitur Alphonſo, aut totum eſt, aut myſticum: illud, quod non omnes tantum comprehendit, qui membra ſunt Chriſti; ſed etiam ipſum Chriſtum: hoc vero, illos tantum, qui membra ſunt Chriſti, ſeorſum tamen à Chriſto. Illius corporis ſolus Chriſtus caput: huius vero Petrus: ſic paucis, vt potui, ſenſum explicaui Alphonſi, alias inuolutum. Enimuero, inquam, venit apud Papiſtas in periculum Chriſtus, ne ſibi etiam videret caput impoſitum: ideoque gratiam debet ſubtiliſſimis Alphonſi cogitationibus, qui hac tam noua, tam ſubtili, tam abſtruſa diſtinctione, tanto periculo Chriſtum liberauit. Sed & Chriſto apud Papiſtas, ſatis deinceps honoris eſt, ſi ipſe intactus relinquatur, neminiq; ſubiiciatur: hocque in lucro ſibi ponere debet, dum ſuum ſibi regnum ereptum videt, vel ſaltem aliis communicatum. Ita ſapiunt Papiſtæ: ita ſunt Chriſtiani.

VI. Sed enim diſtinctio & noua eſt, & priuata. Noua: quia iam primum ab Alphonſo excogitata: itaque non tantum non ab initio Eccleſiæ, i.e. à Chriſto, ab Apoſtolis, ab Apoſtolicis viris: ſed nequidem ab initio huius inductæ tyrannidis: verum longe poſt eam confirmatam. Priuata,

quia ſoli Alphonſo placuit, nulli autem prætcrea. Vtrumque autem magnum ſignum mendacii. Nam in dogmatibus, & nouitas, & particularitas nunquam in Eccleſia bene olent.

VII. Secundo, eſt etiam inepta: Quia quoties Eccleſia comparatur corpori, non quodlibet corpus intelligitur, ſed humanum: proinde non poteſt ſine ſumma *ἀβελτηρίᾳ* in illuſtranda, explicandave comparatione diſcedi à natura corporis humani. Sani igitur viri conſiderant, non quid hic vel ille excogitare poſſit; ſed quid corporis humani natura poſtulet. Quis autem diſtinxerit vnquam corpus humanum integrum, quod conſtet capite & membris reliquis: & corpus aliud quomodocunque nominatum, tantum ex reliquis membris, quæ ſuum habeant caput aliud ab illo primo? Hoc enim nunquam aut fuit, aut erit, aut ferri poteſt a natura. Itaque Leo, Sermone de Petro & Paulo non eſt auſus caput capiti ſubiicere: ſed capiti oculos aptare, & hunc ſummum gradum iis aſſignat. *Quos*, inquit, *gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore quaſi geminum conſtituerit lumen oculorum.*

VIII. Tertio, eſt contra mentem Scripturæ. Nam quoties nobis Eccleſiam corpus appellat Scriptura, eiuſmodi corpus intelligit, quod componatur ex aliis hominibus à Chriſto, vt Alphonſi verbis vtar: hoc eſt, inter quos Chriſtus non numeretur. Ad Romanos 12. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſingulatim autem alii aliorum membra, habentes diuerſa dona pro gratia quæ nobis eſt data.* Nam & cum *ſumus* dixit Apoſtolus, ſatis quos ſignificet, indicauit; nempe mortales: & quum eos, qui corpus id componunt, habere diuerſa dona aſſeruit: nam Chriſtus non diuerſa habet, ſed omnia. Tum non ſimpliciter, *multi vnum corpus ſumus*: ſed addit, *in Chriſto*: Ergo, inquam, alios omnes ſignificauit, præter Chriſtum: nam quæ ratio ferat ipſum comprehendi in iis qui ſunt vnum in ipſo? Ad Epheſios 4. *Veritatem ſectantes cum charitate, prorſus adoleſcamus in eum per omnia qui eſt caput, nempe Chriſtus: ex quo totum corpus pro menſura vniuſcuiuſque membri incrementum capit corpori conueniens.* Atqui Chriſtus non capit incrementum; ergo non continetur in eo corpore, quod totum dicitur incrementum capere: & quidem pro menſura vniuſcuiuſque membri: quo ſignificantur omnia membra, ex quibus id corpus componitur, incrementum capere; etſi non omnia æqualiter; ſed ſingula pro ſua menſura. Denique, abſurde dicas ipſum Chriſtum capere incrementum ex Chriſto.

IX. Et in vniuerſum, cum, tum his, tum ſimilibus locis, adeò ſollicitè Chriſtus diſtinguatur ab iis omnibus, qui ſunt eius corpus, patet non comprehendi inter eos, tanquam membrum vnius eiuſdemque corporis, quod eius eſſe dicitur: ſed potius corpus dici reliquorum omnium, qui ei per fidem vniuntur. Vnde Auguſtinus de Agone Chriſtiano, c. 20. *Si Eccleſiæ caput eſt homo ille, cuius ſuſceptione Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, membra cætera ſunt omnes ſancti, quibus perficitur & completur Eccleſia.*

X. Quarto, dico ridicule diſtingui Chriſti corpus in totum, & myſticum. Primo, quia non poteſt corpus dici id, quod non eſt totum: nam ipſa corporis natura eſt, vt totum aliquid ſignificet: vt hic, compoſitum ex omnibus ſuis membris: quare, non poteſt ſano iudicio opponi corpus myſticum toti corpori: quia ipſum myſticum, aut eſt totum, aut non eſt corpus. Secundo, quia Eccleſia nullo modo dici poteſt corpus Chriſti, niſi myſticum: Duplex enim eſt tantum corpus Chriſti: videlicet naturale, quod ſumpſit è Maria Virgine, per quod verus eſt homo, nobis ὁμοούσιος: & myſticum, quod eſt per gratiam adoptatis membris. Propterea rurſus non ſana mente opponitur corpus totum corpori myſtico: quia ipſum totum oportet eſſe myſticum (conſtat enim non eſſe naturale) aut non eſſe corpus Chriſti. Denique etſi humani corporis nomine ſoleat plerunque comprehendi tota illa hominis pars exterior, quæ conſtat ex variis membris, inter quæ caput etiam nominatur: vt prioris ad Corinthios 13. *Si tradidero corpus meum.* & 15. c. *Seminatur corpus animale; reſurgit corpus ſpirituale*: & alibi: tamen, tum nunquam ſolet opponi capiti: ſed tantum animæ; ſic dicitur homo corpore & anima conſtare; Prioris ad Theſſalonic. 5. *& anima, & corpus inculpate ſeruentur*, Matthæi 10. *Ne timete ab iis qui trucidant corpus, animã autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna.* Itaque, cum opponitur caput corpori, alia iam corporis notio eſt; vt conſideretur ſeparatim caput ipſum per ſe: & corpus, hoc eſt, reliqua membra, excepto capite, quæ conficiant aliquod ὅλον, cui corporis nomen tribuatur: quod in mortuo corpore trunci nomine ſignificari ſolet apud Latinos. Lucanus, *trunco ceruix abſciſſa receſſit*: &, *æquore truncus conſpicitur.* Sed indignum trunci nomine, hoc de quo loquimur corpus: quia viuum vigenſque. Iam Eccleſia Chriſti corpus cum appellatur, non ea ſignificatio eſt, vt cum ſua corpora dicuntur animæ recepturæ; hoc eſt, cum corpus & anima *ἀντιδιαιρῶνται*: ſed illa altera cum caput & corpus: nimirum relate, vt caput ſe corporis caput, & corpus capitis corpus: atque hæc quidem de priori diſtinctione.

XI. Venio ad alteram, quam priori miſere, ſiue deſerta, ſiue repudiata, alij tuentur. Diſtinguunt igitur caput, in primum & ſecundarium. Et primum ſolum eſſe Chriſtum libenter concedunt: ſecundarium vero aliud eſſe contendunt. Et primo negat Alphonſus, hac poſita diſtinctione, duo conſtitui capita eiuſdem corporis totalis. Quam inepte! Nam primo perſtandum erat in analogia corporis humani, cui diximus Eccleſiam comparari, non Ceraſti cuidam, non Amphisbenæ. Nondum autem cuiquam viſum aut auditum corpus bene conſtitutum, formatumque, corpus non monſtroſum, capere duo capita, vnum primarium, alterum ſecundarium. Non ſatisfit igitur argumento: fuerat enim negatum, vnum corpus habere duo capita; hæc autem diſtinctio reſpondet, duo quidem induci capita, ſed non eodem gradu, aut eiuſdem generis. Secundo, quid hoc eſt. *Non facimus duo capita eiuſdem corporis totalis?* Quid, inquam, idem corpus? Suntne non eiuſdem corporis capita Chriſtus & Oecumenicus? Ergo, vel non erunt ambo Eccleſiæ capita, vel duplex erit Eccleſia; altera Chriſti, altera Pontificis. Quid inſuper, *idem corpus totale*? An vt Pontifex caput ſit partis alicuius è toto corpore? Atqui non vitatur abſurditas, perinde enim monſtroſum, vnum corpus habere duo capita totum: & eiuſdem corporis varias partes ſua habere varia capita: aut totius quidem vnum eſſe caput; ſic tamen vt nonnullæ partes ſuum habeant præterea. Tertio, nugatur, aſſerens hac poſita diſtinctione, non conſtitui duo capita. Nam abutitur diſtinctionis nomine: quæ proprie ſignificare ſolet obſeruationem variorum (vt loquuntur) reſpectuum eiuſdem rei: vt cum Chriſtum vnicum diſtinguimus in Deum & hominem, non propterea duos Chriſtos facimus, quorum alter Deus ſit, alter homo; quæ erat Neſtorii inſania, perſonas diuidentis. Sic cum Paulus hominem alium internum nominat, alium externum: Sic alia multa. At hic nulla huiuſmodi diſtinctio eſt, ſed vera diuiſio, ſiue diſtributio in ſpecies *ἀντιδιῃρημένας*, quarum alia non ſit alia. Neq; enim Chriſtus idem eſt Oecumenicus. Itaque vterq; ſuam habet diuerſam non definitionem tantum, ſed etiam ὑπόστασιν. Quomodo ergo, cum animal dicimus eſſe rationale, & brutum, reipſa conſtituimus plura animalia, & non vnicum: ſic aduerſarii; cum caput primum dicunt & ſecundarium; neceſſario non vnum, ſed plura capita inducunt.

XII. Bellarminus non negat plura conſtitui capita, vt Alphonſus, ſed ſecundarium caput, primo eſſe neceſſarium diſputat; ſecundo etiam illuſtrare Chriſti gloriam. Neceſſitatem ſic probat. Quanquam caput Eccleſiæ totius eſt Chriſtus, tamen, quia abeſt à militante Eccleſia, ſecundum viſibilem præſentiam, exigitur neceſſario aliquis vnus Chriſti loco, qui eam in vnitate contineat. Verba ſunt Bellarmini: quæ vt vera ſint, neceſſario ſupponendum eſt; Quicquid Eccleſiam in vnitate continet, id eſſe viſibiliter præſens.

XIII. Reſpondeo, hoc ſuppoſitum axioma, eſſe inſigniter & manifeſto falſum. Alioquin Ieſus Chriſtus non contineret Eccleſiam in vnitate, cum ſit abſens viſibili præſentia. At contra Scriptura hanc Eccleſiæ vnitatem nuſquam quærit niſi in Chriſto. Ioannis 17. *Vt & ipſi in nobis ſint vnum.* Ad Romanos 10. *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Ad Galatas 3. *Omnes vos vnus eſtis in Chriſto.* Et ratio eſt ſatis facilis: quia hæc vnitas eſt ſpiritualis, Ad Epheſios 4. *Studentes ſeruare vnitatem Spiritus.* Prioris ad Corinthios c. 12. *Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa: omnia vero membra corporis vnius multa cum ſint, vnum ſunt corpus, ita & Chriſtus. Etenim per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptiſati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes vna potione potati ſumus, in vnum Spiritum.* Ad Philippenſes 1. *Tantum vt dignum eſt Euangelio Chriſti vos gerite, vt ſiue venero, & videro vos, ſiue abſens fuero, audiam de rebus veſtris, vos perſeuerare in vno Spiritu, vno pariter animo decertantes per fidem Euangelii.* Quæ cum ita ſint, non tantum ſufficit inuiſibilis Chriſti præſentia, ſecundum quã pollicitus eſt ſe adfuturum Eccleſiæ vſq; ad finem ſeculi, ad eam vnitatem conſeruandam: ſed etiam ea ſola præſentia id poteſt. Neque ipſi aduerſarii alias contradicunt. Nam cum hæc vnitas fundetur in fidei veritate, facile vident omnes id quo Eccleſia continetur in veritate, eſſe cauſam eius vnitatis: At omnes Papiſtæ Eccleſiam contineri in veritate, non aliunde oſtendunt, quam ab hac præſentia Chriſti inuiſibili. Nam Eccleſiam errare non poſſe inde probant, quia Chriſtus ſe ei adfuturum pollicitus ſit.

XIV. Ad hæc, non contra rationem tantum, ſed & contra ſtultorum magiſtram experientiam, aduerſarii diſputant: quæ docuit nihil magis nocere huic vnitati Eccleſiæ, quam hoc ſecundarium caput, quod ſibi imponunt, hærentes præſentiæ viſibili, non ſecus ac Iſraelitæ poſtulabant deos qui ſibi præirent. Nam ea vnitas conſideratur vel membrorum inter ſe, vel totius corporis cum capite. illam quoties, quæſo, violauit Oecumenici Pontificis inſolens & importuna ambitio? Mitto ſchiſmata toties repetita; non aliter aut inducta, aut deducta, quam ſolent in regno bella geri inter eos, qui de Monarchia contendunt. Certè Græci, continuati ſchiſmatis cauſam eſſe aſſerunt, quod Epiſcopus Romanus nolit ſubiici Oecumenico Concilio. *Alteram*, quæ corporis eſt cum capite, facile diſſolui ab hoc ſecundario capite, clamabat Gregorius Epiſt. 32. l. 3. *Vniuerſa Eccleſia à ſtatu ſuo corruit, quando is, qui appellatur vniuerſalis, cadit.* Atque hanc prophetiam luculenter effecta comprobant, cum Eccleſia Romana, qua blanditiis, qua tyrannide Romani Epiſcopi, in Apoſtaſiam lapſa ſit vniuerſalem.

XV. Non eſt ergo neceſſarium caput ſecundarium. Iam non eſſe Chriſto iniurioſum: quin potius inde gloriam eius augeri, deinceps probant Bellarminus, Sanderus, Spondanus. Bellarminus: quia non fiat Regi iniuria, ſi dicatur Prorex eſſe caput regni ſub Rege: quin eius augetur potius gloria: omnes enim qui id audiunt, mox cogitant regem eſſe caput nobiliori modo. Et addit in Scriptura, Chriſtum, qui de ſe, *Ego ſum lux mundi*, Ioannis 8. de *Apoſtolis* etiam dicere Matthæi 5. *Vos eſtis lux mundi.* Et Apoſtolum, qui, *fundamentum*, inquit, *aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*, prioris ad Corinthios cap. 3. 2. ad Epheſ. ſcribere, *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Rurſus Chriſtum eſſe, *Paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum*, prioris Petri 2. Et, *Apoſtolum confeſſionis noſtræ*, 3. ad Hebræos. Et, *virum Prophetam*, Lucæ vlt. Et, *Doctorem iuſtitiæ*, Ioel 2. Et tamen nullam ei factam à Paulo iniuriam, cum dixit 4. ad Epheſios, in Eccleſia eſſe Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, Doctores. Deinque Dei ipſum nomen non ſemel in Scripturis, hominibus tribui. Pſalmo 82. *Ego dixi, dij eſtis.* Cur ergo iniuria erit Chriſto capiti Eccleſiæ, ſi aliquidam ſub ipſo dicatur etiam caput?

XVI. Reſpondeo ad illud de Rege, & Prorege: primo, nouam eſſe & nunc primum natam loquendi rationem, vt dicatur prorex, caput regni ſub rege, quam nulla vnquam natio vſurpauit. Exempla autem facta ad placitum nihil, aut probare, aut illuſtrare. Deinde non ſeruati comparationis analogiam: quod enim caput eſt in corpore, hoc rex eſt in regno. Ideo quemadmodum dicitur nulla Chriſto fieri iniuria, ſi ſub eo capite, aſſeratur eſſe aliquod aliud caput: ſic Bellarmino dicendum fuit, regi nullam fieri iniuriam, ſi ſub eo alius eſſe dicatur eiuſdem ditionis Rex. Sed hoc, quoniam nemo ſanus libenter auditurus erat, ideo commutatis nominibus inuidiam Bellarminus vitare voluit. Tertio,

do, nullam fieri regi iniuriam, cum ſub eo agnoſcitur aliquis prorex: ſed tum ſolum, quum eum proregem ipſe conſtituit. At contra, ſi præter eius voluntatem, aut ipſe ſeſe prorex ingerat, aut eum populi ſibi ipſi præficiant, tum id violatæ maieſtatis crimen eſt. Quare, ne Chriſto quidem honor vllus tribuitur, ſi qui ſe Chriſtianos profitentur præter eius verbum, ſecundarium ſibi caput adſciſcant.

XVII. Ad illa exempla, quæ de Chriſto & hominibus dicuntur, reſpondeo, non negari ea eſſe non pauca, atque adeo plura quam Bellarmimus enumerarit: non ſequi tamen, vt quæcunque de Chriſto, eadem de hominib. dici poſſint. Iam vero, quæ ſic de Deo dicuntur, & Chriſto, vt hominibus tribui non poſſint, ea ſi quis ſuo fretus iudicio his tribuat, iniuriam facere Deo & Chriſto. Vt ſi quis Adamum dicat Creatorem & Moſen, Omnipotentem: & Paulum, Mediatorem: & Petrum, Redemptorem. Huius autem ſecundi generis, id eſſe, de quo nunc contendimus, vel hoc vno argumento probamus, quod Scriptura, quæ alia multa ſolet de Deo ſic dicere, vt non dedignetur tamen hominibus communicare: hoc tamen ſoli Chriſto reſeruauit integrum, nec de vllo vnquam homine loquuta vſurpauit. Nobis vero in rebus tanti momenti extra Scripturam, multo magis contra Scripturam, ſapere, religio eſt. Similiter in rebus humanis, etſi multa dicantur de rege, quæ eius ſubditis tribui facile poſſint, & ſoleant, exempli gratia, nobilis, potens, fortis, diues, dominus, & huiuſmodi plurima: qui tamen quenquam regem appellet, & ſalutet ex ſubditis, eum rex ipſe non facile toleret, imo vero reum damnet maieſtatis.

XVIII. Sed exempla tamen diſtribuo in duos ordines. Nam Paſtoris, Epiſcopi, Apoſtoli, Prophetæ nomina, nunquam vnicum quid ſignificarunt: ſed & Paſtores, & Epiſcopos, & Apoſtolos, & Prophetas multos ſẽper in Eccleſia fuiſſe perſpicuum eſt. Et quidem primo, proprioque vſu, hominis ſignificant: adeo, vt non hominibus communicata ſint Chriſti nomina, ſed potius Chriſto hominum. Nemo autem neſcit, nulli inferiori iniuriam fieri, cum ſe in eius ordinem quaſi demittit præſtantior: ſed præſtantiori tantum, cum in eius gradum inferior aſcendit. At caput Eccleſiæ tum, ipſa dictante analogia metaphoræ, vnicum ſignificat: tum de Chriſto primo & propriè dicitur. Itaque exempla aliena ſunt, & nihil concludunt.

XIX. Lux autem & fundamentum, & Deus, reliquis non annumerantur recte. Nam, vt de luce prius dicam: cum Chriſtus lux dicitur, & Apoſtoli item, non eſt vtrumque eodem ſenſu intelligendum, teſte Ioanne, qui, cum de Baptiſta loquitur, *Non erat*, inquit, *lux ipſe*. Sed de Chriſto, *ille erat lux illa vera, quæ illuminat hominem omnem venientem in hunc mundum*. In quem locum Cyrillus, *Apertius modo veram lucem à creaturis, quæ lux nõ ſunt, Euangeliſta diſſeparat. Illa enim natura lux eſt, iſta per gratiã: iſta participant, illa participatur: indigent iſta luce: illa indigẽtibus ſeipſam largitur.* Cyrillo Thomas conſentit, etſi aliis verbis. Sed & Auguſtinus. *Quare additum eſt veræ? Quia & homo illuminatus dicitur lux: ſed vera lux eſt illa quæ illuminat*: Et cætera multa quæ addit in eundem ſenſum: vt ſit certum Apoſtolos, imò vero vllum hominem, lucem non dici, niſi propterea quod illuminatus eſt à luce: hoc eſt, figurate, ſiue ὁμωνύμως. Quum ergo prorſus alia ratione Chriſtus & Apoſtoli lux dicantur, non ſatis recte aſſeritur, idem dici de Chriſto & Apoſtolis: niſi forte ſolum nomen intelligas; quod nihil ad hanc rem noſtram: neque enim aſſerunt Papiſtæ, ſic Chriſtum, & ſuum Papam dici caput Eccleſiæ, vt ſolum nomen ſit commune.

XX. De fundamento; Pauli illa verba, *Super fundamento Apoſtolorum, & Prophetarum*, reſpondeo dupliciter exponi ſolere. Paucos nonnullos, in quibus Chryſoſtomum, & poſt eum Oecumenium, ac Theophylactum: quibus conſentire videtur Tertullianus contra Marcionem libr. 4. c. 39. ſic interpretari, quaſi dictum ſit, ſuper Apoſtolos & Prophetas, qui ſunt fundamentum. Quæ expoſitio etſi coactior ſit, quam ſolidior: tamen (vt eam non refellam) certum eſt Apoſtolos, & Prophetas, non poſſe dici fundamentum, niſi habita ratione miniſterij, id eſt, quatenus miniſtri fuerunt iaciendi fundamenti: vnde Iuſtinianus Ieſuita ſignificari dixit: Epheſiorum fidem vtriuſque Teſtamenti teſtimonio, & autoritate firmari: ac proinde μετωνυμικῶς: quo ſenſu Chriſtus fundamentum non dicitur. Quare rurſus peccatur homonymia: vt iterum ſit falſum fundamentum dici de Chriſto & Apoſtolis. Atque hæc ratio eſt, cur Paulus neget fundamentum vllum poſſe conſtitui præter Chriſtum: non enim reſpexit tam nomen quod communicatur Apoſtolis & Prophetis, ſed rem nominis, quæ ſoli Chriſto competit.

XXI. Verum magis propria expoſitio, & quam ſequuntur pleríque omnes, hæc eſt, vt voluerit Paulus fideles ſuperſtructos ſuper doctrina Veteris & Noui Teſtamenti, quæ ſit fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, id eſt, quod Apoſtoli & Prophetæ conſtituerunt: quod idem eſt, ac ſi ipſum Chriſtum nominaſſet. Anſelmus, *id eſt, ſuper fidem Chriſti, ſuper quam primo fundati ſunt Apoſtoli & Prophetæ: Chriſtus enim fundamentum eſt totius diuini templi, vel diuinæ ciuitatis, quia ex eo, & ex eius fide, & gratia inchoant omnia bona, & ipſe totum ſpirituale portat ædificium.* Ante Anſelmum Ambroſius, *Hoc eſt ſupra Nouum, & Vetus Teſtamentum collocati.* Sic Gloſſa interlinearis, & ordinaria, Lyranus, Thomas, Lombardus: denique Caietanus, & Ioannes Gagnæus, ne recenſendis ipſis eorum verbis ſim prolixior: Et Salmero hanc ſecundam verborum Pauli ſententiam ponit. Hoc autem ſenſu importune Bellarminus hunc locum tranſtulit in hanc diſputationem.

XXII. De Dei nomine, vix eſt, vt admoneam: Primum, locum illum Pſalmi ſignificare, non reges, aut iudices appellari deos, ſiue id illis nomen communicari, ſed tantum ex florente illorum ſtatu homines de iis ſic iudicare, tanquam de diis, vt illud *Dixi*, non Dei ſit, ſed ipſius Pſalmiſtæ, quod facile apparet ex totius contextus ſerie. At hic ſenſus, nihil ad noſtram controuerſiam. Deinde illud ipſum nomen Dei, hoc loco non pauci accipiunt, pro Angelis, vt alias aliquando. Tertio etiam ſi nomen Dei vrgeatur, tamen non poteſt negari, vſurpatum καταχρηστικῶς, quod de Capitis nomine nunquam aduerſarij conceſſuri ſunt. Nam longe aliud eſt, Deum obiter nominari, aliud reuera eſſe.



XXIII. Atque de Bellarmini argumento hactenus. Sanderus, vt ſolet nunquam non ſubtilia venari, ſic hoc loco ea vidit, quæ præter eum nullus, cap. 2. libri 3. *Si gloria Chriſti eſt* (inquit) *caput Eccleſiæ ſuæ eſſe quanto pluribus viis hæc gloria prædicatur, & in omnium notitiam perducitur, tanto maior gloria Chriſto in hac vita defertur. At ſi vnus conſtituatur in Eccleſia militante primus omnium, & ſub Chriſto reliquorum caput, plures erunt viæ, quibus ea Chriſti gloria prædicabitur, quam ſi negetur.*

XXIV. Reſpondeo: negari hoc aſſumptum. Reuera enim non ſunt plures, ſed pauciores viæ prædicandæ gloriæ Chriſti, quum vnus homo dicitur caput Eccleſiæ: quam cum negatur. Ratio gemina. Prima, quia ipſo capitis nomine alteri tributo, non poteſt gloria Chriſti prædicari, ſi res ipſa, quæ eo ſignificatur nomine, vni alicui creaturæ tribuatur. Nam id omnino derogat gloriæ Chriſti, quæ non eſt communicanda cum aliis: vt enim Deus, quia ſolus omnia poteſt, ſolus appellatur Omnipotens: ſic Chriſtus Caput Eccleſiæ. Rem autem ipſam aliis communicatam derogare Gloriæ Chriſti, paulo ante docuit Gregorius.

XXV. Secunda ratio: Quia omnium Epiſcoporum honor eo tendit, vt Chriſti gloria prædicetur: nam quoties eos appellamus ποιμένας, toties ille cogitatur ἀρχιποιμήν. Ergo quo magis ſingulis Epiſcopis ſuus conſtabit honos, eo plures erunt viæ prædicandæ gloriæ Chriſti: & quo magis illorum honori detrahetur, eo pauciores. Atqui hoc Capitis, ſiue Oecumenici Pontificis nomine, ſuus omnibus Epiſcopis honor derogatur, prout hoc eodem libro probabit Gregorius pluribus locis. Eo igitur pauciores eſſe vias prædicandæ huius gloriæ Chriſti neceſſe eſt, quo pluribus obſtructis, vna tantum relinquitur: ſi tamen hæc ipſa relinquitur.

XXVI. Sed inſtat Sanderus: Si quia Chriſtus totius militantis Eccleſiæ caput eſt, alius ſub Chriſto eiuſdem Eccleſiæ caput eſſe non poteſt: profecto neq; particularis Eccleſiæ vllus quiſquam ſub Chriſto caput futurus eſſet, Chriſtus enim, vt totius militantis Eccleſiæ, ſic ſingularum diœceſium, & parœciarum caput eſt.

XXVII. Reſpondeo, olim hoc Capitis nomen tributum fuiſſe Paſtoribus. Sic enim Ambroſium, in 12. prioris ad Corinthios vocare Apoſtolos caput in Eccleſia: & Gregorium agnoſcere Petrum, Iacobum, & Ioannem ſingularum plebium capita. Et tamen ab iiſdem nullum vnquam caput Oecumenicum fuiſſe agnitum: imo à Gregorio deteſtatum. Hi ergo, ſi cum Sandero diſputarent, negarent conſequentiam. Quemadmodum in Regnis, etiamſi per ſingulas prouincias, ſuos conſtituat ſibi rex proreges: tamen non ſequitur, vt vnum in vniuerſis conſtituat: quin potius is regũ mos eſt, vt ſibi in vniuerſas prouincias imperium ſolis reſeruent. Sed nos totum argumentum prolixe concedimus: aſſerimuſque eo ipſo quod Chriſtus ſit caput vniuerſale omnium Eccleſiarum, nulla eſſe capita particularia ſingularum diœceſeon, aut parœciarum. Itaque nunquam Scripturam id nominis cuiquam tribuere, præter Chriſtum. Tribuerint ſane Patres: ſed καταχρηστικῶς. At nobis conſultius cum Scriptura, & ſapere, & loqui.

XXVIII. Supereſt ſophiſma Henrici Spondani, hominis nulla alia re noti, quam infami apoſtaſia, vt habeat etiam hodie ſequaces ſuos Heroſtratus. Sed hoc monſtrorum feraciſſimo ſeculo, nihil eſt in hoc religionis negotio tam exiguum, quod facile ſit contemnendum. Is igitur ex his Apoſtoli verbis ad Epheſios cap. 4. *Adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum incrementum capit*: ex his, inquam, verbis ſic argutatur: Paulus, cum Chriſtum vocat caput, ſub eo ponit totum corpus. Totum autem eſſe non poteſt, niſi habeat caput proprium. Cum ergo Eccleſia præter Caput Ieſum Chriſtum, non tantum ſit corpus ſed etiam corpus integrum: militans, & peregrinans in hoc mundo; debet etiam habere caput eiuſdem naturæ ſibi proprium, & quod ſit eius corporis membrum reliquis analogum.

XXIX. Reſpondeo, vt iam antea ad Alphonſum de Caſtro, in hac oppoſitione Capitis & Corporis, hoc poſteriore intelligi in humano corpore, συνόλως omnia membra, quæ compacta vnum aliquod totum conficiant, quod capiti opponatur. Itaque totum corpus non ſignificare aliud vnum corpus humanum integrum, conſtans ex membris, & alio capite: ſed eiuſmodi corpus, in quo nullum deſideretur ex iis membris, quæ præter caput humanum corpus conſtituunt. Itaque conſentiunt interpretes Paulum vti ſimilitudine, ducta ab humano corpore, cuius hæc natura eſt, vt à capite in membra inferiora ſpiritus vitalis deriuetur. Vide Chryſoſtomum, & Theodoretum, & Theophylactum. Iuſtiniani autem verba ſunt, *Ait Apoſtolus, quemadmodum caput, omnibus corporis membris vi cerebri, vnde omnis ſentiendi facultas pendet, omnium ſenſuum actiones ſuppeditat: non aliter Chriſtum Dominum, qui eſt Eccleſiæ caput, cum dona Spiritus Sancti impertiri, tum membra corporis in vnam iuncturam, atque compagem connectere.* Nec aliter Salmero. Itaque æque poteſt dici, totum corpus humanum incrementum capere à capite. Quo audito, ſi quis imaginetur aliquod corpus totum, ſic oppoſitum capiti, vt Spondanus finxit, quis ferat? Itaque Theophylactus, *totum corpus* explicauit his verbis, *Omnia membra, quæ à capite ſenſum accipiunt*: vt ſit, eo iudice, apud Apoſtolum, totum corpus, nihil aliud quam omnia membra infra caput.

XXX. Quod vero dixit Spondanus Eccleſiam eſſe totum corpus militans, & peregrinans in terris, nimis arcte dixit Ambroſio iudice, qui, *Qua ratione* (inquit) *Chriſtum caput eſſe omnium dixerit, docet: Ex ipſo enim, inquit, omne corpus, id eſt, omnis chorus Angelorum, & potentiarum, principum & poteſtatum ſubſiſtit. Quamuis enim ſingula hæc numeros proprios habeant, & ſint legiones, vt ipſe Dominus dixit, quia ab vno tamen, per vnum ſunt, ſimul omnia vnum corpus appellat.* Chryſoſtomus ſimiliter, homilia 10. ad Epheſios, τί δέ ἐστιν ἓν σῶμα; οἱ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης πιστοί· καὶ ὄντες, καὶ γενόμενοι, καὶ ἐσόμενοι· πάλιν καὶ οἱ πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας εὐηρεστηκότες ἓν σῶμά εἰσι. *Quid eſt vnum corpus? Qui vbique terrarum fideles, ſunt, fuerunt, aut erunt: Quinetiam ij, qui ante Chriſti aduentum placuerunt, vnum corpus ſunt.* Ergo, cum totius corporis nomine intelligantur omnia membra, quæ à Chriſto virtutem ſpiritualem accipiunt, ea autem non

ſoli ſint fideles in Eccleſia militante, ſed etiam Angeli, & fideles qui ſunt in triumphante, non recte Spondanus hunc locum reſtringit ad ſolam militantem. Iam ſi totum illud corpus vtramque comprehendat partem, & quæ in cœlis regnat, & quæ in terris peregrinatur, aut fateatur Spondanus ſe ſophiſtice agere, nec ſignificari iis verbis vnum corpus, quod habeat alterum caput: aut oſtendat Eccleſiam triumphantem, cum militante, atque adeo cum Angelis, eiuſmodi eſſe totum corpus, quod præter Chriſtum, vnum habeat caput: hoc eſt, Oecumenicum ſuum Pontificem, caput eſſe æque Sanctorum, qui in cœlis ſunt.

XXXI. Quod vero idem obiter dixit de capite cæteris membris analogo, nouum eſt argumentum, fuſius explicatum à Panigarolla lectione ſexta. Cum Eccleſia ſit corpus viſibile, ea eſſet monſtroſa, ſi nullum aliud caput haberet, quam inuiſibile. Sed reſpondeo, monſtrum id dici, quod eſt contra rei naturam. Si autem ſit contra corporis viſibilis naturam, vt habeat caput inuiſibile: multo magis eſt, vt habeat vnum inuiſibile alterum viſibile. Nam duo quidem capita, nonnunquam profert natura: ſed vtrumque viſibile. Quare ſic potius fuiſſet Panigarollæ argumentandum. Omne corpus viſibile, quod habet caput inuiſibile, eſt monſtroſum. At Eccleſia non eſt monſtroſa, & eſt corpus viſibile: Ergo non habet caput inuiſibile. Chriſtus autem inuiſibilis exiſtit. Ergo Chriſtus non eſt caput Eccleſiæ. Quæ concluſio, cum ſit blaſphemiæ plena, ergo falſum eſt alterutrum, vel corporis viſibilis non eſſe caput inuiſibile: vel certe eſſe Eccleſiam corpus viſibile. Quorum vtrum verius ſit, non eſt neceſſe nunc inquirere: cum ſufficiat ab vtroque euerti Panigarollæ argumentum. Sed tamen Eccleſiam potius eſſe inuiſibilem ſuo loco diſputaturi ſumus, Deo dante. Nunc tantum, ἐκκλησία οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἀλλ' ἢ διὰ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν ᾠκοδομημένη οἰκία: *Eccleſia nihil aliud eſt, quam domus per noſtras animas ædificata.* Verba Chryſoſtomi Homilia 10. ad Epheſios.

XXXII. Deinde Chriſtum non eſſe ſuis membris proportionatum, ſiue analogum, nemo vnquam ſanus dixerit. Nam ſi eſt eiuſdem naturæ, non poteſt non eſſe analogus. At illud verum, teſte Apoſtolo ad Hebræos 2. cap. *Quoniam pueri participes ſunt carnis, & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem.* Et deinde, *Debuit per omnia fratribus ſimilis fieri.* Denique, quis neſcit nos fieri Chriſto σύσσωμους? Nihil igitur obſtat, quominus Chriſtum agnoſcamus pro capite totius Eccleſiæ: nec quicquam vrget, vt alium quæramus.

## Cap. II.

### *Eccleſiam eſſe Corpus Chriſti.*

I. SI aliquod eſſet Eccleſiæ caput præter Chriſtum: Ergo Eccleſia diceretur alterius corpus, quam Chriſti. At conſequens falſum, & abſurdum: ergo & antecedens. Conſequentia patet, ex perpetua relatione capitis & corporis: eſt enim κεφαλὴ τοῦ κεφαλωτοῦ κεφαλή. Vnde fit, vt non tantum caput ſit, dicaturque ſui corporis caput: ſed etiam corpus ſui corpus capitis: quomodo non tantum pater ſui filij pater, ſed etiam filius ſui patris filius: rex ſui regni rex: & regnum ſui regis regnum. Sic in Scriptura non ſolum Chriſtus dicitur Eccleſiæ caput, ſed etiam Eccleſia Chriſti corpus. Ad Epheſios cap. 1. *Omnia ſubiecit eius pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Ad Coloſſenſ. cap. 1. *Eſtque caput corporis Eccleſiæ.* A qua analogia, id denique ſequitur, vt ſi aliquis, puta Gregorius, ſit Eccleſiæ caput, ipſa etiam Eccleſia, ſit Gregorij corpus. At hoc vel auditu fœdum quis non deteſtetur Chriſtianus?

II. Bellarminus ſoluit dupliciter, capite nono libri primi de Pontifice. Prior ſolutio. Cauſam, cur nuſquam Eccleſia dicatur corpus Petri, aut Papæ, ſemper autem Chriſti, hanc eſſe quod ſolus Chriſtus ſit caput principale & perpetuum totius Eccleſiæ: Vt enim regnum non dicitur eſſe proregis, ſed regis, & Domus non eſt œconomi, ſed domini: ſic Eccleſiam non eſſe corpus Petri, aut Papæ, qui ſolum ad tempus, & alterius loco, eam gubernat.

III. Sed hæc fruſtra. Nam primum, commentitia eſt diſtinctio capitis principalis, & non principalis: perpetui, & non perpetui: & contra naturam, à qua non debet ſimilitudo diſcedere, alioqui non futura ſimilitudo. Repeto enim, Scripturam hanc metaphoram deſumere à corpore humano: itaque in ea explicanda omnino inſiſtendum in natura humana: non pro arbitrio fingendum quicquam. Id habent autem ſimilitudines, vt ſint reciprocæ: ſi enim hac parte ſimilis eſt Eccleſia corpori humano: & corpus humanum neceſſe eſt ſimile eſſe Eccleſiæ. Quare, ſi Eccleſia admittit caput vnum principale alterum non principale: item vnum perpetuum, alterum non perpetuum: neceſſe erit in humano corpore idem fieri. At hoc non fit: Ergo neque illud.

IV. Secundo, diſtinctio eſt inutilis: quia non obſtat principalis, & non principalis differentia, quominus in ſuo cuiuſque rei genere agnoſcatur relationis reciprocatio. Proreges, etſi in ſuis prouinciis non ſint principales, ſed ſubalterni, habent tamen hanc relationem, vt dicantur ſuarum prouinciarum proreges: & viciſſim prouinciæ, ſuorum proregum prouinciæ. Multo iam minus temporalitas obſtat. Nam, etſi reges ſinguli non ſunt perpetui, ſed ad tempus, id eſt, quandiu eis vita ſuppetit: tamen non propterea, non dicebatur Alexander rex Macedoniæ, & Macedonia regnum Alexandri.

V. Tertio, quod Rex eſt in regno, dominus in domo, id caput eſt in corpore: & viciſſim, quod regnum regi, domus Domino, hoc corpus capiti. Propterea, quemadmodum non tantum regnum non dicitur proregis regnum, nec domus œconomi domus, ſed nec prorex eius regni rex, aut œconomus eius domus Dominus: ſic, non tantum Eccleſia dici non debet Pontificis corpus: ſed nec ipſe Pontifex Eccleſiæ caput.

VI. Quarto, non vt regis eſſe poteſt aliquis prorex, aut domini aliquis œconomus: ſic capitis Eccleſiæ aliud tanquam procaput: vt hoc verbum, in re tam noua, cum bona venia liceat innouare. Etſi enim verum ſit comparari Chriſtum, & regi, & domino: tamen non in omnibus, & ſingulis circumſtantiis. Atque adeo, vt ne egrediamur ab argumento propoſito, vt doceat nos Scriptura non eſſe aliquem Chriſti aut proregem, aut œconomum: ideo idem qui alias, & Dominus, & Rex appellatur, etiam Caput dicitur: & quæ Eccleſia, alias domus, & regnum, etiam corpus. Capiti autem in humano corpore, vnde ſimilitudo ſumitur, nullum ſubſtituitur ſecundarium caput. Quemadmodum igitur ex nominibus Regis, & Domini, colligimus Chriſti ſummam poteſtatem in Eccleſiam: ſic ex capitis nomine concluditur, eandē poteſtatem Chriſtum nulli communicare: etſi reges ſuam aliquando ſoleant impertiri proregibus; & domini œconomis.

VII. Secunda ſolutio: Cum dicitur Eccleſia corpus Chriſti, vox illa *Chriſti*, poteſt commode referri, non tam ad Chriſtum, vt caput, quam ad eundem Chriſtum, vt hypoſtaſin eius corporis. Quemadmodum cum dicimus, illic iacet corpus Petri, illic Pauli, non ſignificamus Petrum, aut Paulum eſſe capita: ſed perſonas, quarū illa ſunt corpora. Chriſtus enim non modo caput eſt Eccleſiæ: ſed eſt ipſe quaſi magnum quoddā corpus, ex multis, & variis membris conſtans. Quod annotauit Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 31. inde Apoſtolus 1. ad Corint. 12. cum ait, *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, cum ſint multa, vnum eſt corpus:* non addit, ita & Chriſti corpus: ſed, *ita & Chriſtus.* Iam igitur corpus eſt Chriſti, non Petri, Eccleſia, quia Chriſtus tanquam corporis huius hypoſtaſis, omnia membra ſuſtentat, & omnia in omnibus operatur, per oculum videt, per aures audit: quod certe, nec in Petrum, nec in alium hominem, conuenit.

VIII. Sed contra. Primum, ſolutio eſt inutilis: non enim infirmat argumentum propoſitum: quo aſſeritur abſurdum eſſe, vt Eccleſia dicatur alterius corpus quam Chriſti: Vt enim omnia concedamus, quæ nunc vult Bellarminus: conficietur dupliciter dici aliquid corpus alicuius: vel propter relationem ad caput, vel propter hypoſtaſin. Nec negat Eccleſiam dici corpus, Chriſtum caput, id eſt, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ corporis: & Eccleſiam eſſe corpus Chriſti capitis. Qui enim poſſet, cum diſerti ſint Scripturæ loci, Patrumque formulæ? Nos vero dicimus, non tantum propter hypoſtaſin, Eccleſiam dici corpus Chriſti ſolius, quod ſponte concedit Bellarminus: ſed etiam propter relationem ad caput: quod ille cum debuiſſet refellere, ne attigit quidem: deterritus, credo, rei difficultate.

IX. Deinde, Chriſtum eſſe ipſam ipſius Eccleſiæ hypoſtaſin, ſiue Chriſtum eſſe tanquam aliquod magnum corpus ex multis, & variis membris conſtans, καινοφωνία eſt, qua nullus vnquam vſus eſt ante hunc Ieſuitam. Imo vero inepte, & falſo, ſic dicitur. Nec ſane Auguſtinus ea verborum portenta vſurpauit: ſed eius locum Bellarminus truncatum citatum: imo ne citauit quidem, ſed indicauit duntaxat. Habet autem ita, *Non dixit, ita & Chriſti, id eſt, corpus Chriſti, vel membra Chriſti: ſed ita & Chriſtus, vnum Chriſtum appellans caput, & corpus.* Quaſi diceret, Apoſtolum appellaſſe Chriſtum, qui eſt caput Eccleſiæ, & Eccleſiam, quæ eſt Chriſti caput, vnum Chriſtum: quod inepte profecto dixiſſet ſi Apoſtoli ea mens fuiſſet, vt diceret, ita & Eccleſia, quæ eſt ipſe Chriſtus.

X. Tertio, falſum eſt igitur, dici vnquam Eccleſiam Corpus Chriſti, qua ſignificatione dicimus corpus Pauli, aut Petri. Nam contra, Scriptura, dum ſic loquitur, relationem ſpectat corporis & capitis, vt quilibet ſanus videt, ex locis iam citatis. Quibus iſtos addo. Ad Epheſios 4. *Adoleſcamus in eum per omnia qui eſt caput, nempe Chriſtus: ex quo totum corpus congruenter coagmentatum incrementum capit.* Et quinto capite. *Vir eſt caput vxoris, & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & is eſt, qui ſalutem dat corpori.* ad Coloſſenſes ſecundo. *Neque obtinens caput, ex quo totum corpus, per commiſſuras augeſcit Dei augmento.* In quibus manifeſte componuntur caput, & corpus. Quod ſi ſic diceret Paulus, Eccleſiā corpus Chriſti, ſic, ut dicimus, Iacet corpus Petri: quemadmodum dici nequit, Petrus eſt eius corporis iacentis caput: ſic neque Paulus dicere potuiſſet Chriſtum eſſe caput corporis Eccleſiæ: quod cum contra toties faciat, quis non videt Bellarminum allucinari?

XI. Atque vt id ſit illuſtrius, iubeo obſeruari, vtraque phraſi Paulum eſſe vſum: tum ea, quæ hypoſtaſin Bellarmino ſignificat, tum ea, quæ nobis relationem: & quidem eodem verborum ambitu. Nam ad Coloſſenſes, *Corporis Eccleſiæ*, non corporis, cuius caput ſit Eccleſia, ſed et ad Epheſios, *Ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus.* Quæ Bellarminiana eſt hypoſtaſis. Relationem vero noſtram ſignificat, capitis nomen oppoſitum corpori: & quidem capitis, quod ſit Chriſtus. Sunt autem longe diuerſa corporis caput, & corporis hypoſtaſis. Ergo, Eccleſia eſt hypoſtaſis eius corporis: & eodem ſenſu dicitur Eccleſiæ corpus, quo Petri corpus. Sed nunquam ſic Scriptura nominauit Corpus Chriſti, niſi cum de eius organico corpore ſermo erat. Matthæi 27. *Petiit corpus Ieſu.* Ad Romanos cap. 7. *Mortificati eſtis legi, in corpore Chriſti.* Et ſi qui ſunt loci ſimiles. Sed quinto capite ad Epheſios nihil manifeſtius, *Vt vir eſt caput vxoris, ita Chriſtus eſt caput Eccleſiæ.* Qua ratione igitur vxor eſt corpus viri, ſic Eccleſia corpus Chriſti. Quænam autem illa ratio? An hypoſtaſis? Minimè vero, ſed relatio. Quare firmum ſtat argumentum contra Ieſuiticas argutationes, nullius, præter Chriſtum, Eccleſiam corpus, aut eſſe, aut dici: propterea; nullum, excepto Chriſto, eſſe caput Eccleſiæ.

## Cap. III.

### *Quænam dominatio prohibeatur in Eccleſia.*

I. SI in Eccleſia non debet eſſe dominatio: Ergo, nullus eſt Oecumenicus Pontifex. At verum prius: ergo & poſterius. Antecedens patet

ex 22.c. ſecundum Lucam Cum enim diſcipuli contendiſſent inter ſe de primatu, his verbis eorum Dominus ambitionẽ cohibuit, *Reges Gentium dominantur eis: & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita: ſed qui maximus eſt inter vos, ſit ſicut qui minimus eſt, & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.* Similiter Petrus Epiſt. 1. ca. 5. *Paſcite gregem, qui penes vos eſt, curam illius agentes, non coacte, ſed libenter, non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto animo: neque vt dominantes clero, ſed vt qui ſitis exemplaria gregis. Et cum apparuerit princeps paſtorum, reportabitis immarceſſibilem coronam gloriæ.* Inde Paulus poſterioris ad Corinthios primo, negat ſe dominari fidei eorum ad quos ſcribebat.

II. Conſequentia autem probatur, quia hic, de quo diſputatur, primatus dominatio ſit. Nam & Papam Dominum noſtrum ſui vocant. Et quidem, tum in Eccleſia, tum in Politia. Nam pronunciatur eſſe de neceſſitate ſalutis, vt omnes ei ſubſint. Quin ei maieſtas tribuitur. Iouius libro 25. *Clementis viui regnantiſque, & diu etiam regnaturi, Maieſtatem impie contemnerent.* Et ruiſus, *Quantum ad Pontificiam maieſtatem pertineret.* Adde, Epiſcopos, Papæ miniſtros appellatos in Concilio delectorum Cardinaliam. Adde, eoſdem factos eius domeſticos. Inde apud Iouium lib. 27. Vaſionenſis Antiſtes Pontificiæ familiæ diſpenſator. Quid plura? Coſterus Apologiæ contra Gomarum 1. c. 2. per triplicem coronam ſignificari docet, plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ: ſicut in tribus Imperatoriis coronis ferrea, argentea, aurea, poteſtatis ſecularis. Illa Eccleſiaſtica ſunt. Hæc politica. Princeps appellatur. Iouius libro 34. *Paulus in adminiſtranda Republica illuſtri quodam in ſpeciem diuerſarum virtutum temperamento, ita Pontificis ſimul, & Principis nomen tuebatur, vt in omni conſilio ſingularis pietas emineret, nec tamen obſcura eſſet amplificandæ ſuorum potentiæ voluntas.* In Concilio Lateranenſi, Balthaſar del Rio, De Leone tunc Papa, *Ceu Leo Rex quadrupedum, tu alter Leo hominum, non alter rex tantum, ſed regum Rex, & orbis terrarum Monarcha effectus.* Hæc, ex multis pauca.

III. Nunc, quid excipiant aduerſarij, videamus: Sanderus libri 6. c. 1. conſequentiam impugnare videtur: quia illa vnius Paſtoris ſupra gregem reliquum præfectura, quam in Eccleſia militante eſſe defendunt, non proprie dicatur dominatus, aut dominandi poteſtas: ſed primatus. Quia dominium ſit proprie in ſeruos: Primatum autem etiam inter fratres inuenire nihil prohibeat.

IV. At nos ſane inter fratres non inficiamur eſſe aliquando primatum ordinis: Sed eum primatum Oecumenico Pontifici ſati facere negamus. Nemo enim primus tantum ordine, adeo imperioſe ſuo primatu vſus eſt vnquam: & ſi effecta conſiderentur, vere dicat quiſpiam, Epiſcopum Romanum, omnes reliquos, non fratrum, ſed ſeruorum loco habere. Sic enim ex ipſis Epiſcopis, alios ſibi legatos facit, & apocriſiarios: alios ſecretarios: alios œconomos: & Imperatorem ipſum deiicit ad oſcula pedum: ad aquam manibus lauandis fundendam: ad ſtapham tenendam. Quæ ſi ſunt duntaxat primatus, non tantum diſtincti, ſed etiam ſeparati a dominio, tum nobis infima ſumma ſint: & nox in diem conuertatur.

V. Sed de Scripturæ locis allatis, maior contentio. Nam illum ex Luca ſic inuertit Sanderus, vt ex eo primatum, vel vnico probaturum ſe confidat. Quater Apoſtolos contendiſſe ſumit: ſemel, poſt transfigurationem in monte. Marci 9. & Lucæ 9. Iterum, poſt petitionem filiorum Zebedæi, Matthæi 20. Marci 10. Tertio, poſt ſtaterem perſolutum, Matthæi 18. Denique, poſt cœnam, Lucæ 22. Tribus primis locis: Chriſtum a ſeculari & prophana dominandi cupiditate Apoſtolos deterruiſſe, humileſque eſſe iuſſiſſe: at poſtremo, non id tantum, ſed præterea quendam cæteris maiorem inter eos eſſe, palam dixiſſe, eique preſcripſiſſe, quemadmodum in illo primatus officio ſeſe deberet gerere.

VI. At in eorum locorum diſtinctione, etſi non multum ſit momenti: tamen Sanderus videri poſſit diſtrahere, diſcerpereque potius, quam diſtinguere: atque ex duobus, quatuor efficere. Apparet enim bis tantum contendiſſe Apoſtolos. Itaque ſinguli Euangeliſtæ non ſæpius narrant. Matthæus c. 18 & 20. Marcus 9. & 10. Lucas 9. & 22. Præterea eandem hiſtoriam recitari Matthæi 18. Marci 9. Lucæ 9. facile coniicias, tum ex loco: nam Capernaum diſerte Marcus nominat: & ſtateris ſolutio facta eſt eodem loci. Tum ex circumſtantia pueruli adhibiti, & aliorum ſermonum. Itaque Hieronymi Canon hos locos comparat: Itemque Euthymius. Ruſus eandem hiſtoriam narrari, Matthæi 20. Marci 10. Lucæ 22. reſponſio Chriſti eadem arguit: etſi filios Zebedæi Lucas omittat: & in circumſtantia temporis nonnihil variet à reliquis. Euthymius tamen Lucam ſeorſim ponit: ac ſic triplicem hiſtoriam diſtinguit.

VII. Sed ea diſtinctio neutram partem, aut iuuat, aut lædit. Hoc diligentius conſiderandum, vtrum apud Lucam quicquam ſit, quod vnius primatum ſignificet, magis quam in aliis locis. Nam id nos quidem negamus: Sanderus vero aſſerit: & ſua habet argumenta, nunc examinanda ſigillatim.

VIII. Primum Sanderi argumentum, ex his verbis, *Reges Gentium dominantur eis, vos autem non ſic.* Qui enim dixit, non ſic dominabimini, vtique non omnem dominandi modum, ſed illum duntaxat prohibet, qui ſit ſimilis tyrannidi Gentium. Ex quo ſtatim recte colligas, aliquo ſaltem modo Apoſtolos præfuturos eſſe.

IX Fallit acumen. Non enim dictum, *Non ſic dominabimini*: ſed tantum *Non ſic*: quæ phraſis ſimplicem negationem ſignificat. Quaſi totidem ſyllabis legeremus, Vos autem minime: ſiue mauis, *non dominabimini*. Primo, ita poſtulante contextu: Quia oſtenditur diſpar comparatio inter Apoſtolos, & Reges: itaque id quod de regibus affirmatur, de Apoſtolis negandum fuit. Cicero, *Certus dies, non vt ſacrificij, ſic conſilij exſpectari ſolet.* Reſolue, ſeruato Scripturæ ſtylo. Sacrificii certus dies expectari ſolet, conſilij autem non ſic. Hic igitur, quoniam Chriſtus Reges affirmauerat dominari; id erat de Apoſtolis negandum; nec debent interpretes diuinare id, quod nuſquam dictum. Alia ratio eſſet, ſi dixiſſet, Reges impie, & iniuſte dominantur: tum enim poſſet referri negatio ad impietatem, & iniuſtitiam.

X. Secundo, idipſum exigit vſus Scripturæ, apud quam οὐχ οὕτως Græcè, Hebraicè לא כן ſimpliciter negat, id quod præceſſit. Geneſeos 4. cum diceret Cain ſe occidendum, reſponſum Dei Septuaginta expreſſerunt per οὐχ οὕτως, *Non ſic.* An vt innuerent occidendum fore, tamen non eo modo, quo fratrem occidiſſet? Minimè verò. Baſilius Epiſtola 317. ἐλέγχει δὲ αὐτοῦ τὸ σφάλμα ὁ λόγος λέγων, οὐχ οὕτως. τοῦτ' ἔστιν, οὐκ ἀναιρεθήσῃ. *Errorem eius.* Cain putantis ſe occiſum iri. *Verbum hoc reprehendit, inquiens, Non ſic, hoc eſt, non interficiere.* Nehemias ca. 5. cum dixiſſet alios duces populo graues fuiſſe, addit, κἀγὼ οὐκ ἐποίησα οὕτως, nonne, vt ſe prorſus negaret grauem fuiſſe? Pſalmo 1. οὐχ οὕτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ οὕτως, *Non ſic impij, non ſic.* Et Chriſtus, Matthæi 19. *Ab initio non erat ſic.* Velim mihi aliquis Sanderus aſſereret, eſſe quidem ab initio repudij datum libellum, ſed non eo modo, quo poſt Moſen Quin etiam in reliquis illis locis, vbi concedit Sanderus, non conſtitutum fuiſſe vllum alio maiorem, Matth. 20. & Marci 10. οὐχ οὕτως ἔσται ἐν ὑμῖν, *Non ita erit inter vos.*

XI. Tertio, non eſſet ſoluta Apoſtolorum quæſtio. Contendebant enim inter ſe, quis futurus eſſet maximus, ſimpliciter, nullisque additis circumſtantiis. At ſi ſimpliciter intelligitur negatio, tum nihil reſtat quærendum. Ad hæc, fatentur omnes Chriſtum cohibere voluiſſe tantam ambitionem; at non cohibuiſſet, ſi conceſſiſſet futurum quidem aliquem maximum: ſed non eo modo, quo reges in ſuis regnis. Nam etiam alii primatus ambitionem paſcunt: quod qui neſciat, Romanos ipſos Pontifices inſpicito, etiam tum cum nondum eſſent Oecumenici.

XII. Quarto, demus Sandero, ſic intelligendam negationem Chriſti, ſed cum modificatione, vos non dominabimini, eo dominationis genere, quo reges Gentium: tamen abunde profligabitur Oecumenicus primatus. Nam, is ſolo nomine ſpiritualis, re vera nõ differt à ſeculari Principum dominio. Quanquam hic Sanderus importune tyrannidem nominauit, quam Chriſtus non deſignauit. Contra potius, *Benefici*, inquit, *vocantur*: quod credo tyrannis vix accidit.

XIII. Secundum argumentum ducitur è verbis, *Qui maior eſt in vobis.* Nam obſeruat Sanderus, primo Chriſtum dixiſſe τὸν μείζονα, pro eo quem alias μέγαν: vnde concludit, aliis locis agi de regno cœlorum, in quo vere magnus ſit qui humilitate ſit præditus: hoc autem, de hoc mundo, vbi poſſit aliquis maior eſſe, qui tamen vere magnus non ſit.

XIV. Sed leuis hæc eſt vocabulorum aucupatio. Eſt enim μέγας ἐν ὑμῖν, Hebraiſmus: pro Græcorum, Latinorumque ſuperlatiuo, quo carent Orientales omnes linguæ. Erit igitur גדול בכם ad verbum μέγας ἐν ὑμῖν, *magnus in vobis*, proprie μέγιστος ὑμῶν, *maximus veſtrûm.* Hunc Hebraiſmum, vt alios plurimos, retinuerunt Matthæus, & Marcus. At Lucas, inflexit paululum, & dixit μείζων ἐν ὑμῖν, eodem ſenſu. Non ſumi autem μέγαν, abſolute, ſed comparate apud Matthæum, & Marcum, indicio eſt, quod ſtatim ſubnectunt, ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, *Qui inter vos volet eſſe primus*: quæ omnino intelligi nequeunt, niſi per comparationem. Denique, qui Matthæi 20. & Marci 10. eſt μέγας, is Matth. 18. eſt μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *maior in regno cœlorum*: & vterque eodẽ modo redditus à Syro Interp. Illic quidem דצבא בכון דיהוה רבא. Hic vero, רב מלכותא דשמיא.

XV. Sed rurſus obſeruat, alias dixiſſe Chriſtum, ὃς ἐὰν θέλῃ γενέσθαι μέγας, *qui volet fieri magnus*, nullo deſignato: hic vero, ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *maior in vobis.* Et ὁ ἡγούμενος, de certo quodam viro nominatim.

XVI. Ridiculè. Quid enim eſt in iſtis, quod certum aliquid deſignet? An articulus? Atqui is vtrique loco communis eſt: Et rurſus exprimitur Lucæ 9. ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν, *Minimus in omnibus vobis*: nec tamen, opinor, ſignificat vnum aliquem nominatim, qui cum eſſet reliquis minor: ſed potius indefinitè, quicumque ſe ita demitteret: Et rurſus in hoc ipſo noſtro loco, ὁ νεώτερος, καὶ ὁ διακονῶν, nullam perſonam denotant, ſed quamlibet. An vero verbum *eſt*? Et ſane in eo vim facit. Sed fruſtra: Primo, quia Lucæ 9. ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, *Qui eſt minimus in vobis*, idem ipſum verbum, nihil ſignificat non indefinitum. Deinde, id verbum non eſt è contextu, ſed ex Interprete Latino. Lucas enim ſcripſit, ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *maior in vobis*, nec præſenti, nec futuro tempore vſurpato. Notum eſt autem huiuſmodi phraſes apud Græcos vtrique tempori eſſe communes, interpretandasq; pro locorum circumſtantia.

XVII. Tertium argumentum à verbis, *fiat ſicut minor*: Chriſtus, inquit, eum, qui iam eſt maior, ad humilitatem hortatur dicens, *fiat ſicut minor*: hic igitur primatus tribuitur, ſiue ſequatur humilitas, ſiue non ſequatur.

XVIII. At ſupponitur falſum: non enim eum qui iam eſſet maior, Chriſtus hortatur: ſed eum, qui ſiue eſſet, ſiue futurus eſſet. Eſt enim præceptum vniuerſale. Quale, *Oportet Epiſcopum irreprehenſum eſſe.* Et ſimilia, quæ perinde eſt, ſiue de præſentibus intelligantur, ſiue de futuris. Sed de præſentibus dici præciſe, nulla neceſſitas cogit. Itaque mens etiam Chriſti non ea eſt, quam Sanderus docet: ſed hæc potius, eum primatum dari non poſſe, niſi præcedente humilitate: Imo potius in ipſa humilitate ſitum eſſe: vt quis ſe in Eccleſia Dei vere credat eſſe omnium maximum, qui ſe omnibus ſubiecerit. Itaque non tantum Euthymius, *Docet* (inquit) *quod is qui præponendus eſſet, non deberet dominari tanquam Dominus*, Sed etiam Lyranus: *Chriſtus de hoc eos docuit, videlicet, quod ille eſſet ad hoc aptior, qui eſſet vere humilior, per contrarium ad terrenam dominationem.* Quinetiam Matthæi 20. & Marci 10 quibus negat Sanderus agi de hac Eccleſiaſtica dignitate, ſed de ea quæ pertinet ad beatam vitam, ſimilis vſurpatur loquutio, ἔστω ὑμῶν δοῦλος, *Eſto ſeruus veſter.* An, quia hæc cœleſtis dignitas tribuatur, ſiue ſequatur, ſiue non ſequatur humilitas? Imò Euthymius, *Dicit ergo: Poteſtatem in illos exercere Gentium eſt: ego vero legem vobis ſtatuo parandi principatus, miniſtrando aliis, eiſque ſeruiendo. Qui enim hoc facit, illum ego magnum ac primum declaro & hic apud me primatum habebit.*

XIX. Ergo ne (inquit Sanderus argutulus) illi qui nuſquam eſt Chri-

ſtus præcepta dat? Ridiculum, inquam. Quaſi non poſſint præcepta dari in futurum. Imo, quaſi præcepta non ſoleant dari indefinite, nulla deſignata perſona certa. Quid igitur fiet Matth. 20. & Marci 10. vbi præceptiua eſt loquutio, etiamſi nullus certus deſignetur? *Qui volet inter vos eſſe maximus, eſto veſter miniſter.* Exclamemne cum Sandero: ergo-ne illi, qui nuſquam eſt, à Chriſto data ſunt præcepta? Rideant omnes: & merito: non ſanum.

XX. Quartum argumentum: Poſtrema admonitione, Chriſtus non abſolute iubet eſſe minorem, aut miniſtrum, aut ſeruum, vt in aliis: ſed tantum ſicut minorem, aut miniſtrum, aut ſeruum, addita particula ὡς, quæ alias omittitur.

XXI. Futile λεπτολόγημα. Reipſa enim idem eſt, fiat ſeruus, & fiat ſicut ſeruus: tantum hoc poſterius figuratam loquutionem indicat ſua nota. Non enim id voluit Chriſtus, vt re vera ſe quiſquam in ſeruitutem alteri tradat: ſed humilitatem ſignificauit, cuiuſmodi eſſe debet in eo, qui ſeruus eſt.

XXII. Quintum argumentum: Chriſtus hæc duo oppoſuit, μείζων & νεώτερος. Ergo cum admonuiſſet primatum à ſe non inſtituendum ſimilem illius, qui apud gentes exercetur, poſtea declarauit, quemadmodum ille dominaretur, qui inter eos maior erat futurus, dicens, qui maior eſt in vobis, hoc eſt, qui ius primogenituræ adipiſcitur, ita ſe gerat, ac ſi minor eſſet inter omnes fratres ſuos.

XXIII. Atqui hæc perpetua eſt intolerabilis peruerſitas in peruertendo tam illuſtri loco. Primo, non negat Chriſtus ſe primatum ſimilem gentium permutui: ſed omnino vllum conſtituturum dominatum. Secundo, oſtendere voluiſſe, quomodo is qui eo primatu ornatus eſſet, dominaretur falſum. Et argumento eſſe poteſt, ipſum τοῦ νεωτέρου nomen. Nam ſi ad ætatem referas, omnino admonet omnem dominatum negari. Nam is qui inter fratres minimus eſt, non tantum nō quodam modo dominatur: ſed etiam omnino non dominatur. Quemadmodum in aliis locis, ὁ μέγας opponitur τῷ διακονοῦντι. Quis autem dicat, τὸν διακονοῦντα Miniſtrantem, aliquo modo dominari? Itaq; Syrus Interpres νεώτερον זעורא reddidit, id eſt, *paruum*. Euthymius, *Iuniorem dicit poſtremum.*

XXIV. Sextum argumentum; ab exemplo Chriſti, quod ſtatim ſubiicitur, *Ego autem in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat:* quaſi in hunc modum ratiocinaretur: Si ego, qui vere ſum maximus & Dominus omnium, quique ſum ſolus vniuerſale caput totius Eccleſiæ ab initio mundi vſque ad finem, tamen adeo demiſſe humiliterque verſor, vt miniſtrare potius quam recumbere videar: quanto minus ei, qui maior eſt inter vos, moleſtum eſſe debet, vt inſtar miniſtri gerat ſe inter conſeruos ſuos?

XXV. Sed Theophylactus multo melius ſenſum vidit, ἐπεὶ τοίνυν ἐγὼ ὁ ὑπὸ πάσης ἀγγελικῆς καὶ λογικῆς φύσεως προσκυνούμενος ἐν μέσῳ ὑμῶν διακονῶ, πῶς ὑμεῖς ἄξιοί ἐστε μεγαλοφρονεῖν καὶ περὶ τὴν πρωτείαν ἐρίζειν. *Cum igitur ego, qui ab angelica & rationali natura adoror, in medio veſtri miniſtro, quo pacto vos æquum eſt magnifice de vobis ſentire, & primatum ambire?* Vnde conſtat, non vni cuipiam, & certo homini Chriſtum, ſed omnibus æque Apoſtolis eſſe loquutum, omneſque nullo diſcrimine facto reprehendiſſe: deinde, non aut probare, aut inſtituere primatum aliquem vnius in reliquos, ſed improbare τὰς περὶ πρωτείων ἔριδας. Præterea non aduertit Sanderus hoc ipſo exemplo Chriſtum eſſe vſum in ea, quam tertiam facit, admonitione, poſt petitionem filiorum Zebedæi: qua tamen ipſe concedit neminem vnum deſignari maximum, ſed omnes potius admoneri, ne alii ambitioſe præeſſe deſiderent. Quare huius exempli ſenſum eſſe oportet: Si ego, qui ſum vniuerſalis Eccleſiæ caput, ita me gero, ac ſi ſeruus eſſem: quanto magis vos abhorrere debetis à dominatione, quorum nullus id aut eſt, aut futurus eſt? Et vero Lucas Brugenſis exponit in hunc modum, *Vult dicere, cum videatis me facere id quod præcipio, vt qui dignitate inter vos ſum maior & conditione dominus, habeam me tanquam minor & ſeruus ſim, noſſe debetis, hoc idem vobis præſtandum eſſe ſi quando alius præfecti fueritis.* Communi nimirum omnibus eruditione, etſi vel Papiſtarum confeſſione non eſſent omnes futuri Pontifices Oecumenici. Atqui ſi hæc verba ſonarent Oecumenicum Pontificem, non potuiſſent omnibus eſſe communia.

XXVI. Atque hactenus quidem Sanderus. Sed Bellarminus hoc poſtremum ab exemplo Chriſti argumentum paulo aliter concipit, c. 9. libri I. de Pontifice. Chriſtus, inquit, exemplo ſuo rem declarauit, *Sicut ego non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et, *ego in medio veſtri ſum ſicut qui miniſtrat.* Et tamen idem de ſe dicit, Ioannis 13. *Vocatis me, magiſter, & Domine: & bene dicitis: ſum etenim.* Sicut ergo Chriſtus non dominabatur, non præerat ſicut reges Gentium, ſed miniſtrabat, & laborabat: & tamen vere præerat, imo & Dominus erat: ita quoque vult vnum è ſuis præeſſe, ſed abſque libidine dominandi, qualis eſt in Regibus gentium.

XXVII. Reſpondeo, vim fieri verbis Chriſti. Certum eſt, quidem in Chriſto vtrumq; fuiſſe, & ius dominii in Eccleſiam, & humilitatem tantam, vt demitteret ſe ad miniſterium vſque. Sed hic, cum diſerte Apoſtolis pro exemplo alterum tantum proponat, quis non videt noluiſſe Apoſtolos ſibi ad imitandum proponere ius illud dominandi, ſed tantum humilitatem? Nec vero hoc loco duntaxat ſic cauit: ſed neque vſquam aliter. Quare nouo prorſus modo concluditur, Chriſtus voluit diſcipulos ſe imitari, cum illis miniſtraret. At idem fuit etiā Dominus: Ergo, voluit diſcipulos admonere, aliquem ex iis dominaturum reliquis. Quis hoc ferat? Nam id ſane nō ad vnum pertineret: ſed ad omnes, *Diſcite à me, quod mitis ſim & humilis corde.* Matth. 11. Voluit ergo diſcipulos ſuo exemplo mites eſſe & humiles. At idem erat etiam Dominus: Ergone Ieſuitice dicimus, voluiſſe omnes ſuos diſcipulos mites quidem eſſe & humiles, ſed tamen Dominos? Apage monſtrum! Hoc certum: ſæpe ſ. Chriſtum pro exemplo proponere: & diuerſis rationibus: quas ſi confundamus, vt ſingulis locis quicquid in eo fuerit, concludamus imitandum proponi, infinita abſurda eſſe conſequutura.

XXVIII. Atq; hactenus de eo loco. Sequitur alter ex 1. Petri: quo vetantur Presbyteri κατακυριεύειν τῶν κλήρων: & deſignabatur Chriſtus τοῦ ἀρχιποιμένος nomine, tam abſolute, vt facile quilibet cognoſcat id epitheton eſſe illi proprium. Hunc vero Hayus diſputationum lib. 1. c. 8. nodum ſic ſoluit: Vocem κατακυριεύειν ratione præpoſitionis κατά, ſignificare vſum tyrannidis, ſeu dominatus tyrannici: itaq; Petrum vetare, Epiſcopos in clerum dominari, id eſt, tyrannidem exercere.

XXIX. Sed reſpondeo, ſumi falſum. Nam τὸ κατακυριεύειν, vbique ſumitur pro ſimplici κυριεύειν. His exemplis. Matth. 20. ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Marci 10. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν. Vbi de Principibus gentium generaliter agitur, qui tamen non omnes tyrannidem exercent. Itaque vtramque ſententiam Lucas 22. cap. ſic expreſſit: οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, ſimplici verbo vſus. Et Syrus Interpres vbiq; מרי הון אנון *domini illarum ſunt.* Et Latinus *dominandi* verbo vtitur.

XXX. Præterea Septuaginta Interpretes verbum רדה frequenter ſic exprimunt, quod *regnare*, non vero tyrannicè regnare ſignificat. Pſalmo 49. καὶ κατακυριεύσουσιν αὐτῶν οἱ εὐθεῖς: *Et dominabuntur eorum iuſti.* Pſalmo 72. καὶ κατακυριεύσει ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης: *Et dominabitur à mari vſque ad mare.* Pſalmo 110. καὶ κατακυρίευε ἐν μέσῳ τῶν ἐχθρῶν σου: *Et dominare in medio inimicorum tuorum.* Sed & Geneſeos 1. mandatum eſt Dei ad hominem πληρώσατε τὴν γῆν καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς, *Replete terram & dominamini ei.* Adde Pſalmum 109. Ieremiæ 3. Numerorum 21. & 32. His omnibus locis quis contendat tyrannidem intelligi? Ergo & Deum conſtituet autorem tyrannidis: & non tantum τοὺς εὐθεῖς, ſed etiam ipſum Chriſtum tyrannum. Ita leuia ſunt, quæcunque Sophiſtæ contra veritatem comminiſcuntur.

---

## Cap. IV.

### *Oecumenicum Pontificem non eſſe in Hierarchia Eccleſiaſtica.*

I. OEcumenicus Pontifex, aut pertinet ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ fuit Apoſtolorum tempore: aut non eſt à Chriſto inſtitutus. Atqui non pertinet ad Hierarchiam Eccleſiaſticam. Ergo, non eſt à Chriſto inſtitutus. Prima propoſitio certa, quia Eccleſiaſticam Hierarchiam, qualem Chriſtus inſtituit, ſine dubio vſurparunt Apoſtoli, illi Chriſti fideliſſimi diſcipuli: qui teſtabantur ſe omnem viam ſalutis docuiſſe, neque quicquam reticuiſſe. Enimuero, ſi cum Pontificem Chriſtus inſtituiſſet, Apoſtoli autem non vſurpaſſent, alterutrum neceſſe erat: vel neſciuiſſe Apoſtolos fuiſſe inſtitutum: vel noluiſſe vſurpare, etiamſi eſſet inſtitutus. At neſciuiſſe, alienum eſt à veriſimili: quis enim poſtea docuiſſet? Nam omnem veritatem Eccleſia habuit à Chriſto, per Apoſtolos. Noluiſſe autem, tantos viros argueret malæ fidei in populos commiſſos: & παραπρεσβείας, ob non expletum ſuum munus: denique læſæ Chriſti maieſtatis, à cuius inſtitutis eſſet diſceſſum. Quæ omnia ſi ſunt abſurda, neceſſe eſt diſiunctionem Propoſitionis eſſe neceſſariam.

II. Aſſumptionem probamus: quia ſi Oecumenicus pertinuiſſet ad Hierarchiam Apoſtolicam, tum, quicumque eius enumerarunt varios gradus, illi Oecumenicum nominaſſent aliquo loco, imo vero ſummo. At hoc non factum. Nemo enim Apoſtolus, nemo etiam poſt Apoſtolos inuenitur, qui eius meminerit. Et habemus tamen Hierarchiæ nomenclationes. Primum Pauli ad Epheſ. 4, *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit longe ſupra omnes cœlos, vt impleret omnia. Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti, donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei.* Hactenus Apoſtolus: in quo notandum, primo nullum gradum nominare in quo non ſint collegæ; ſingulos enim plurali numero ſignificari: Apoſtolos videlicet, non vnicum Apoſtolum: ſic Prophetas, ſic Euangeliſtas, ſic reliquos. Deinde, eos gradus ſufficere ad perficiendam Eccleſiam: Diſerta verba, *Ad coagmentationem ſanctorum, donec euadamus omnes in vnitatem fidei.* Dionyſius ille quiſquis eſt, qui Areopagitæ nomen inuaſit, Epiſt. 8. Αὐτὸς μὲν οὖν ἐπιθυμίᾳ, καὶ θυμῷ, καὶ λόγῳ τὰ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε· σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοί, καὶ τούτοις ἱερεῖς, ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι· καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν ἀποστόλων διάδοχοι· καὶ εἴπερ τις καὶ ἐν ἐκείνοις τοῦ προσήκοντος ἀποσφαλείη, παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων ἐπανορθωθήσεται, καὶ οὐ περιστραφήσεται τάξις ἐπὶ τάξιν, ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῇ τάξει αὐτοῦ, καὶ ἐν τῇ λειτουργίᾳ αὐτοῦ ἔσται. *Tu ergo cupiditati, iracundiæ, rationi modum ſtatue pro dignitate. Tibi vero diuini miniſtri: hi ſacerdotes: Pontifices ſacerdotibus: Pontificibus Apoſtoli, Apoſtolorumque ſucceſſores. Quod ſi quis etiam in iſtis ab officio diſcedat, à ſanctis, qui ſunt eiuſdem ordinis corrigetur: atque ita non inſultabit ordo in ordinem: ſed vnuſquiſque in ſuo ordine ac miniſterio permanebit.* In quem locum Maximus σημείωσαι τὴν τάξιν ἐπαινουμένην ἐκκλησιαστικὴν ἵνα τοῖς μονάζουσιν οἱ διάκονοι, καὶ τούτοις οἱ πρεσβύτεροι, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις οἱ ἐπίσκοποι ἐπιτιμῶσι. τοῖς δὲ ἐπισκόποις, οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ τούτων διάδοχοι· ἐν δὲ τοῖς τῶν ἀποστόλων διαδόχοις παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἡ ἐπιτίμησις: *Nota laude dignam Eccleſiaſticam ordinationē, vt Monachos Diaconi, iſtos presbyteri, presbyteros Epiſcopi reprehendant: Epiſcopos vero Apoſtoli, horumque ſucceſſores. Hos autem Apoſtolorum ſucceſſores collegis reprehendendi ius eſt.* Et paulo poſt. Ἀποστόλων δὲ διαδόχους, τοὺς νῦν πατριάρχας ἡγοῦμαι εἶναι. *Apoſtolorum vero ſucceſſores puto, qui nunc Patriarchæ ſunt.* Quanquam huic Dionyſio non ſatis conuenire videtur cum Ignatio, qui Epiſcopos in ſummo gradu collocat, ſub quo tantum Presbyteros & Diaconos. Epiſtola ad Magneſios. προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ: *Ita vt præſideant epiſcopi loco Dei: & presbyteri, loco conſeſſus Apoſtolici: & Diaconi mihi ſuauiſſimi, quibus concreditum eſt miniſterium Ieſu Chriſti.*

III. Quin etiam longe poſt ea tempora, in enumerando clero Oecumenicus Pontifex nullo numero fuit. Nam Hieronymus contra Luciferianos, *Eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopiſque finitur.* Iſidorus Etymologiarum lib. 7. cap. 10. cum clericorum ſummum gradum Epiſcopis tribuit; tum, *Ordo,* inquit, *Epiſcoporum quadripartitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitis, atque Epiſcopis*

ſcopis. Paulo aliter, ſed tamen in eundem finem, Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum, libro 1. c. 5. *Ordo Epiſcoporum tripartitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, qui & Metropolitani ſunt, & in Epiſcopis.*

IV. Vnde nobis argumentum certiſſimum. Oecumenicus Pontifex, ſi eſt in Eccleſia, vel eſt in Laicis, vel in Clero: At neutrum. Ergo non eſt in Eccleſia. Non in Laicis, ipſis concedentibus aduerſariis. Nam Laici ſunt ij qui nullam habent præſidendi autoritatem. Non vero in Clericis. Nam alias eſſent in aliquo ordine. At hoc minime. Ratio: Quia vel in Epiſcopis ſunt, vel omnino non ſunt. At non in Epiſcopis: qui neque Patriarcha eſt, neque Archiepiſcopus, neque Metropolitanus, neque ſimplex Epiſcopus. Ratio, quia ij omnes gradus, & habent certos iuriſdictionis limites: quibus Oecumenicus contineri ſe non patitur: & habent collegas: cum Oecumenicus ſit ſolitarius, tanquam Phœnix.

V. Bellarminus de Pauli loco reſpondet dupliciter. Primo, negata argumenti conſequentia, hoc eſt, non propterea non pertinere Oecumenicum ad Hierarchiam Eccleſiæ, quia eum Paulus omiſerit. Ratio eſt, quia non delinearit eam Hierarchiam; ſed tantum enumerarit varia dona, quæ ſunt in Eccleſia. Primum enim poſuit Apoſtolos, id eſt, eos qui primi à Deo miſſi ſunt: ſecundo Prophetas, id eſt, qui futura prædicunt: tertio Euangeliſtas, id eſt, eos qui Euangelia ſcripſerunt: vltimo Paſtores & Doctores: quo vno verbo ſignificauit confuſe totam Hierarchiam miniſtrorum Eccleſiæ. Et prioris ad Corinthios 12. addidit genera linguarum, curationes, & alia, quæ non Eccleſiaſtica miniſteria, ſed Spiritus Sancti charismata ſunt.

VI. Sed quis tergiuerſantem non videt? Negari tamen non poteſt Paulum enumerare varia Dei dona, quæ erant in Eccleſia: Paulo enim prius, *Vnicuique* (inquit) *noſtrum data eſt gratia pro menſura doni Chriſti.* Sed addendum viciſſim, ea dona enumerari, quæ inſeruiunt adminiſtrandæ Eccleſiæ. Quod duobus argumentis conficitur: vno, quia nulla immiſcentur non eius generis: nam Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Paſtores, Doctores, omnes exercebant ſua dona in regenda Eccleſia: altero, quia ea ipſa dona diſerte Paulus collata aſſerit *εἰς ἔργον τῆς διακονίας, ad opus miniſterii, εἰς τὸ τούτους* (inquit Oecumenius) *διακονεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ οἰκοδομεῖν αὐτήν, vt in iis miniſtrent Eccleſiæ, eamque ædificent.* Qui autem miniſtrant Eccleſiæ, ij omnes ad Eccleſiaſticam Hierarchiam pertinent: vt vel ipſo Miniſtrorum nomine oſtenditur. Nec vero recte huic loco comparatur ille alter ex prima ad Corinthios. Eſt enim diſſimilis, eo quod Spiritus enumeret charismata, etiam quę latius patent quam τὸ ἔργον τῆς διακονίας: adeo vt eis ornarentur etiam qui inter laicos, ſiue potius, vt loquebantur Apoſtoli, inter idiotas conſiſtebant.

VII. Porro hoc inſuper certum, enumeratos eſſe eos miniſterij gradus, non ſolum qui ſunt in perpetuo Eccleſiæ vſu: ſed etiam quos pro tempore duntaxat illo Chriſtus inſtituiſſet, Apoſtolos & Prophetas. Etiam Euangeliſtas: ſi tamen Euangeliſtas ſumis eo ſenſu, quem Bellarminus protulit ex nonnullis Patribus: quod tamen non eſt adeo neceſſe, vt alij docuerunt: atque ij non poſtremi aut tempore, aut etiam eruditione: verum id ad rem noſtram aut parum, aut etiam nihil intereſt. Sed hoc maxime, quod conſtet Oecumenicum Pontificem, neq; inter perpetuos, neq; inter temporarios miniſtrorum gradus à Paulo numerari. Nõ inter temporarios: tum quia non ſit Apoſtolus, aut Propheta, aut Euangeliſta: eſt enim vnicus, ij autem plures nominantur: tum quia aſſeritur eſſe perpetuus. Non inter perpetuos, quia neq; Paſtor ſit, neque Doctor: ſed gerat ſe pro Paſtorum & Doctorum magiſtro: deinde, quia à nullo vnquam interprete huius loci nominatus eſt.

VIII. Chryſoſtomus Paſtores & Doctores eos exponit, quib. vniuerſus populus concreditus eſt, & addit minores fuiſſe etiam Euangeliſtis: quo ſe ſine dubio nunquam demittat is, qui ſe dicit caput Eccleſiæ. Theophylactus & Oecumenius eos intelligunt, quorum curæ fuerat Eccleſia commendata: nempe Epiſcopos, vt Timotheum & Titum. Non igitur Oecumenicũ, qui ſe Timotheo & Tito æquari nunq̃ patiatur. Theodoretus. *Paſtores & Doctores eos dicit, qui in ciuitate & in pago erant deputati & ſegregati: qua de cauſa poſuit eos poſt Euangeliſtas, quoniã illi obeuntes prædicabant.* En quam longe Theodoretus abit ab Oecumenico. Longe ab his diuerſus abit Ambroſius. *Paſtores,* inquit, *poſſunt eſſe lectores, qui lectione ſaginent populum audientem: magiſtri vero exorciſtæ ſunt, quia in Eccleſia ipſi compeſcunt, & verberant inquietos.* Adeo nemo eſt, qui in his gradibus caput Eccleſiæ Apoſtolo, vel per ſomnium in mentem veniſſe putarit.

VIII Itaque, quod ait Bellarminus, his Paſtorum, & Doctorum nominibus deſignatam eſſe à Paulo Eccleſiaſticam Hierarchiam; hoc eſt omnes gradus à ſummo ad imum, id vero ipſe ſolitarius dicit. Nam vt vidimus, Veteres certum duntaxat gradum indicatum volunt, & quidem infra non tantum Apoſtolos, & Prophetas, ſed etiam Euangeliſtas. Imo vero ne ipſi quidem Papiſtæ interpretes Ieſuitæ fauent: Lombardus, Thomas Aquinas, Lyranus, Thomas de Vio. Ac ſane, vt cætera mittam, quomodo ſuos Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Acolythos, inter Paſtores & Doctores Bellarminus numerabit? At hi ſunt de Papiſtica Hierarchia.

IX. Ergo, rurſus reſpondet, negans omiſſum à Paulo Oecumenicum: contraq; aſſerens Pontificatum ſummum diſerte poſitum in illis verbis, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos.* Et clarius 12. prioris ad Corinthios *Poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos, deinde Prophetas.* Siquidem ſumma poteſtas Eccleſiaſtica, non ſolum data ſit Petro, ſed etiam reliquis Apoſtolis: Petro tamen, vt ordinario Paſtori, cui perpetuo ſuccederetur: aliis vero tanquam delegatis, quibus non ſuccederetur.

XI. Sed hæc non ſunt ſuperioribus ſolidiora. Nam cum diſputatur de Oecumenico pontifice, non ſimpliciter agitur de ſumma authoritate in Eccleſia; quam omnibus & ſingulis Apoſtolis conceſſam eſſe nemo it infitias: ſed de vno duntaxat, qui eam autoritatem ſic obtineat, poſſideat, vt collegam nullum admittat. Quare cum reſpondetur de omnibus Apoſtolis, tũ miſere proditur Oecumenici cauſa. Nam quia eo ꝙ ſummũ eſt, non poteſt dari quicquam ſuperius, maiuſue: Ergo ſi ſinguli Apoſtoli ſũmi fuerunt, nullus ſupra eos conſtitutus fuiſſe conceditur: ac proinde Eccleſia tum temporis fuiſſe non μοναρχικῶς, ſed ἀριστοκρατικῶς adminiſtrata: quo vno euertuntur omnia argumenta in contrariam partem: & firmum ſtat argumentum noſtrũ. Nam ſi Oecumenicum pontificatum Paulus cõprehendit, ſine dubio comprehendit, in ſummo gradu. At hoc non: quia Oecumenicus nullum admittit conſortem. Summus autem gradus apud Paulum, qui Apoſtolorum eſt, conſortes admittebat. Itaque non poteſt ille in hoc comprehendi.

XII. Enimuero Petrum fuiſſe ordinarium, cui ſuccedi deberet, reliquos delegatos tantum, quibus ſucceſſor nullus eſſet dandus: merum eſt ſomnium. Primum abſque Scripturis; quæ ſemel & vna miſſione omnes Apoſtolos miſſos aſſerit; ac proinde æquo iure: vt neceſſe ſit omnes fuiſſe vel ordinarios, vel delegatos. Deinde, abſque vllo eruditæ antiquitatis teſtimonio. Quid igitur dicemus? ſolos tandem Papiſtas, & quidem incurrentes in hanc mundi ſenectam, hoc arcanum videre, agnoſcere? Sed deſperata eſt horum hominum audacia: qui ſibi ſperẽt habendam fidem, tantum aſſerentibus: quaſi in iis rediuiuus eſſet Pythagoras. Quo iure igitur nobis nouitatem obiiciunt? Sed illi viderint: nos tantam temeritatem execremur.

XIII Iam vero ex iis omnibus, qui multi ſuos in hunc locum commentarios edidere, etſi ſinguli gradus ab Apoſtolo numeratos applicare conentur ſui temporis Hierarchiæ: tamen nullus eſt, qui vel verbo vno meminerit Oecumenici. Longum ſit ire per ſingulos: breuitatis gratia, vnus & alter citetur, Ambroſius ex prioribus: Anſelmus è poſterioribus ſeculis & iam Papiſtis, *Apoſtoli* (inquit Ambroſius) *Epiſcopi ſunt. Prophetæ vero explanatores ſunt Scripturarum: quamuis inter ipſa primordia fuerint Prophetæ, ſicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes, ſicut continetur in actis Apoſtolorum: ſed propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur. Euangeliſtæ Diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus: Nam quamuis non ſint Sacerdotes, euangelizare tamen poſſunt ſine cathedra, quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus. Paſtores ſunt, & poſſunt eſſe lectores, qui lectionibus ſaginent populum audientem: quia non in pane tãtum viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Magiſtri vero, Exorciſtæ ſunt, quia in Eccleſia ipſi compeſcunt & verberãt inquietos: ſiue ij qui lectionibus imbuendos infantes ſolebant imbuere, ſicut mos Iudæorum eſt, quorum traditio ad nos tranſitum fecit: quæ per negligentiam obſoleuit. Inter iſtos poſt Epiſcopũ plus eſſe intelligitur, qui propter reſeratum occultum Scripturarum ſenſum prophetare dicitur: præſertim, qui futura ſpei verba depromit, qui ordo nunc poteſt eſſe presbyterij. Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt, hoc eſt Princeps Sacerdotum, & Propheta, & Euangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium.* Anſelmus longo poſt hunc interuallo aliter. *Et vt omnia adimpleret, dedit ipſe nobis ad eruditionem, quatuor regentium ordines, ſcilicet, quoſdam quidem eſſe Apoſtolos, ſicut Petrum & Andream, cæteroſq; tales, qui omnibus aliis maiores erant, habentes officium prædicationis, & per ſe tradentes aliis, quorum nunc locum Apoſtolicum, & Primates, & Archiepiſcopi tenent in Eccleſia. Quoſdam autem dedit eſſe Prophetas, qui ventura prædicerent, etiam ſub Nouo Teſtamento, ſicut Agabum, ſibiq; ſimiles: quorum locum nunc tenent qui Scripturas interpretantur: quia prænunciant per eas cæteris, futura iuſtorum gaudia, malorumq; ſupplicia. Alios vero dedit Euangeliſtas, ſicut Lucam, & cæteros, qui Euangelium ad Paſtores ſcriptum tranſmiſerunt: vel etiam qui Euangelium prædicabant, & officium miniſtrandi pauperibus habebant vt 7. Diaconi, ſub Apoſtolis: vtrumq; enim victum præbebant & ſpiritualem & corporalem: ſimiliter adhuc deberent agere omnes Diaconi. Inde eſt etiam quod hodie in Miſſa legunt Euangelium. Alios autem dedit Paſtores, & Doctores, ſicut Epiſcopos, vel Presbyteros. Paſtores enim & Doctores, vnũ regentium ordinem intelligimus, quia gregẽ Dei ipſe veraciter docet qui paſcit.*

XIV. Hactenus vterque, qui Oecumenicum in his Pauli verbis, neque vidit neque notauit. Quinetiam Ambroſius totam Hierarchiam Eccleſiaſticam quæſiuit in ſingulis Eccleſiis: vbi Oecumenicum quis quærat? Quod ſi omnes ordines, ab Apoſtolo numerati, complentur in ſingulis Eccleſiis, tum vero neceſſe eſt fateri, Pontificatum illum Oecumenicum qui vnus ſit in toto orbe, Paulo in mentem non veniſſe: ꝙ contra volebat Bellarminus. Et tamen verius eſt non quærendos eſſe illos gradus in ſingulis Eccleſiis. Nam Apoſtolos, Prophetas, & Euangeliſtas, ſine dubio nominauit Paulus, ex vſu primordiorum Eccleſiæ. Certum autem, non fuiſſe ſingulis Eccleſiis, ſuos Apoſtolos. Nihilominus, id nunc quidem noſtra nihil intereſt: ſufficit enim dum conſtet illam vnius in omnes Paſtores Monarchiam non potuiſſe à veteribus adnimaduerti, quam Bellarmin. diſerte expreſſam à Paulo aſſerit; cõfidenter, impudẽter Ieſuitice.

## Cap. V.

*Singularum Eccleſiarum politiam eſſe Ariſtocratiam.*

I. SI Eccleſiæ regimen eſt Ariſtocraticum, ergo nullus eſt Oecumenicus Pontifex. At illud verum: Ergo & iſtud. Conſequentia per ſe patet: tũ ex aduerſariorum doctrina, qui, vt pontificem ſtabiliant, ab hoc fundamento ordiuntur, vt prolixe diſputent Eccleſiam μοναρχικῶς adminiſtrandam eſſe, vt vidimus libro præced. Antecedens per partes probatur. Nam Eccleſiarum regimen, eſt vel ſingularum, vel confertarum. Quod ſi vtrarumq; demonſtretur eſſe Ariſtocraticum, obtinebimus quod quærimus. Prius autem de ſingulis: & quidem de prima origine prius: tum de ea conſuetudine, quæ poſt inualuit.

II. Prima ergo Eccleſiaſticæ politiæ origo quænam fuerit hinc apparebit. Matthæi 18. *Quod ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ: quod ſi Eccleſiam audire neglexerit, ſit tibi velut Ethnicus vel publicanus.* In quibus verbis, ſi quid ſit Eccleſia quæris, Chryſoſtomus expediet, *Dic Eccleſiæ, τουτέστι τοῖς προεδρεύουσιν: hoc eſt, præſidentibus.* Euthymius, *Eccleſiam nunc vocat præſides fidelium Eccleſiæ.* Inde Gloſſa interlinearis, *vt obiurgatio plurimorum eum corrigat.* Eſt ergo Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſumma authoritas non penes vnum: neque enim vnquam vnus appellari poteſt Eccleſia: ſed penes plures. Ergo vel Ariſtocratia, ſi τοὺς προεδρεύοντας Eccleſia

cleſia ſignificet, vt explicant ij quos vidimus: vel Democratia, ſi cœtum Eccleſiæ aſpectantis, vt Hilario: quod non fit veriſimile. Rurſum Actor. 20. *Attendite vos ipſos, & totum gregem, in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam proprio ſanguine acquiſiuit.* En tibi Epheſi, id eſt, in vna Eccleſia plures Epiſcopos. Itaque Gloſſa ordinaria ex Hieronymo, *Sicut Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate, presbyteris eſſe maiores, & in commune debere Eccleſiam regere.* Petrus Epiſt. 1. c. 5. *Presbyteros qui inter vos ſunt precor: Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, curam illius agentes.* Eſt igitur regimen ſingularum Eccleſiarum, ab initio, Ariſtocraticum: quandoquidem à pluribus adminiſtrabatur.

III. At Bellarminus Ariſtocraticum fuiſſe negat libr. 1. de Pontifice, c. 8. Et diſſimulato Chriſti dicto ex Matthæi 18. duobus reliquis locis obiicit, non negare quin Epiſcopis & Presbyteris conueniat vt Eccleſiã Dei paſcant & regant: Sed quæſtionem hic eſſe de ſumma totius Eccleſiæ poteſtate, ſit ne ea in cœtu miniſtrorum, an in vno aliquo homine: atq; hanc neque Paulum, neque Petrum attingere, ſed ſolum admonere Epiſcopos, vt erga ſubiectos ſibi populos paſtorali munere ſtrenue fungantur.

IV. Sed contra, vix poterat dilucidius quæſtio terminari. Primum, quia neuter presbyterorum, quos alloquitur, muneri has vel illas partes aſſignat, ſed indefinite omnes. Secundo, quia vtitur vterq; verbo ποιμαίνειν, quo omnes continentur Eccleſiaſtici regiminis partes, ipſis etiam teſtibus, imo iudicibus, aduerſariis, qui contendunt eo plus ſignificari quam verbo βόσκειν: atque inde etiam ſupremam eliciunt Petri auctoritatem: quod proximo conſtabit libro. Tertio, quia Petrus ſubdit, *non dominantes in clero:* quo quid opus erat, ſi τὸ ποιμαίνειν nullam inferret autoritatem? Quarto, quia Petrus eos Epiſcopos nemini ſubiicit, prӕterquam, Chriſto, quem vocat ἀρχιποίμενα: quod niſi ſumatur pro Epitheto Chriſti proprio, incerta erit mens Apoſtoli: non enim ſatis explicaſſet quem intelligeret eum, quo aduentente reportanda ſit illa corona gloriæ. Eſt tamen verum admoneri epiſcopos, vt paſtorali munere ſtrenue fungantur: ſed addendum erat Bellarmino, id munus omnes partes comprehendere Eccleſiæ regendæ, quas pluribus, non vni tantum commiſſas, ex iis locis fit manifeſtum.

V. Ea ergo fuerunt Eccleſiaſticæ politiæ initia. Deinceps è cœtu preſbyterorum, qui ſic in commune Eccleſiam adminiſtrabant, vnus electus, qui omnium primus eſſet, & Epiſcopus diceretur. Factæ mutationis teſtes locupletiſſimi Ambroſius & Hieronymus: etſi in cauſa reddenda diuerſi abeant. Ille in 4. ad Epheſ. *Non per omnia conueniunt ſcripta Apoſtoli, ordinationi quæ nunc in Eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum presbyterum à ſe creatum, Epiſcopum vocat, quia primi presbyteri Epiſcopi appellabantur: vt recedente eo ſequens ſuccederet: denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum iudicio conſtitutum, ne indignus temere vſurparet, & eſſet multis ſcandalum.* Hieronymus in 1. Epiſtolæ ad Titum, *Antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur.* Rurſus idem epiſtola ad Euagrium, *Manifeſtiſſime comprobatur eundem eſſe Epiſcopum, atque Presbyterum.* Et poſt, *Quod autem poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangeliſta, vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant.*

VI. Ex his Ambroſij & Hieronymi conſtat; primum in ipſis Eccleſiæ primordiis, nullos tales Epiſcopos fuiſſe, qui poſtea instituti fuere: ſcilicet qui ſuo iure reliquis è clero præeſſent: vnde colligitur & non eſſe idipſum à Chriſto, aut Apoſtolis inſtitutum: & (quandoquidem in Eccleſia id ſit optimum, quod primum) Eccleſiæ fore conſultius, vt omnes presbyteri, pari cenſerentur & iure & gradu. Secundo conſtat, ne tum quidem, cum hic Epiſcoporum à Presbyteris diſtinctorum ordo, ſiue gradus eſt conſtitutus, fuiſſe Epiſcopos tanquam Monarchas; qui poteſtatem haberent in Clerum: ſed principes electos, qui rebus deliberandis, gerendiſque præeſſent: ſicut neceſſe eſt in omni Ariſtocratia: & fieri etiam ſolitum in ipſis Conciliis, in quib. duo Epiſcopi deligebantur, quos ἐξάρχους appellabant. Atque ex iis duobus hoc tertium conficitur, Eccleſiæ regimen eſſe ex ſui inſtitutione Ariſtocraticum, non autem Monarchicum.

VII. Hic Bellarminus, quid? ſtrenue reſiſtit; Et primo conatur Ambroſij, Hieronymique autoritates ſoluere, de Clericis ca. 15. Sed & ſuam, id eſt, contrariam ſententiam argumentis ſtruere aggreditur; De Clericis c. 14. Ad Ambroſium ergo dupliciter. Primo; loqui ſolum de ratione ſucceſſionis Epiſcoporum; ac docere initio naſcentis Eccleſiæ, antiquiſſimum presbyterum conſueuiſſe ordinari in Epiſcopum: eoque mortuo ſuccedere ſolitum ſine vlla electione rurſus antiquiſſimum: Sed non negare tamen primum illum presbyterum, cum Epiſcopo ſuccedebat, debuiſſe iterum conſecrari, & nouam poteſtatem ac iuriſdictionem acquirere. Atque hæc prima ſolutio.

VIII. Sed enim falſum agi de ratione ſuccedendi in munus Epiſcopale. Quin potius explicat Ambroſius, quis eſſet ipſe Epiſcopi gradus primis & puriſſimis Eccleſiæ temporibus: nimirum aliud nihil quam inter presbyteros is, qui plures annos in eo munere presbyteratus miniſtraſſet, quem opinor hodie Decanum appellari: Quod ſi ſolius ſucceſſionis ratio eſſet habita, quæ cauſſa fuiſſet dicendi, non conuenire ſcripta Pauli, ordinationi, quæ tunc erat in Eccleſia? Nam certe Paulus 4. ad Epheſios, de ſucceſſione Paſtorum non agit, ne per accidens quidem: tantum gradus enumerat: atque hos Ambroſius iis gradibus, qui ſuo tempore erant in vſu, aptare conatur. Deinde, cur Timotheus appellaretur & presbyter & Epiſcopus, niſi vt doceret eiuſdem dignitatis ſiue officij duo eſſe nomina, vt alias fuſius docet Hieronymus? Aut quomodo duplex id nomen Bellarminus ad ſucceſſionem referet? Tertio, quorſum exemplum Ægyptiorum presbyterorum? quorſum eos notare cõſignare abſente Epiſcopo? An id etiam ad ſucceſſionem pertinet? Imo ad eius miniſterij naturam: ſcilicet, vt oſtendatur, quia hæ conſignandi partes (quæ alibi ſolerent epiſcopo reſeruari, vt eius ſupra presbyteros autoritas conſeruaretur, teſtibus Hieronymo contra Luciferianos, & Tertulliano libro de Baptiſmo) Alexandriæ ſolerent presbyteris concedi, abſente Epiſcopo: eſſe ergo vnum idemque munus, quandoquidem vtriuſque eadem ſint munia.

IX. Sed & rurſus fallitur Bellarminus, cum ait, non negare Ambroſiũ, primum illum presbyterum, quum Epiſcopo defuncto ſuccederet, debuiſſe iterum conſecrari. Nam in contrarium eſſe mentem Ambroſij indicant, primo ea quæ iam attigimus: deinde, quod aſſerat aliud nihil eſſe Epiſcopum, quam primum presbyterum: qui enim, tum ante eam ſucceſſionem, eadem præſtabat, non eget noua conſecratione, vt eadem deinceps præſtare poſſit: nec rurſus vt reliquis prior ſit, qui iam ante eos vocatus eſt: quemadmodum inter Canonicos hodie, decedente Decano, ſuccedit alius abſque vlla aut electione, aut conſecratione. Tertio, ipſe Ambroſius in 3. c. prioris ad Timotheum, conceptis verbis, Epiſcopi & Preſbyteri vnam ordinationem eſſe conteſtatur, quia vterq; ſit Sacerdos: ſed Epiſcopus, primus. Si vna ordinatio, quomodo duæ? At eſſent duæ, ſi egeret altera is qui ad Epiſcopatum promouetur.

X. Accipere tamen nouam poteſtatem iuriſdictionemque, non iuerim inficias: vt ne eſſet Epiſcopatus, merus titulus: ac ſane cum quis eſſet tantum presbyter, non ſit veriſimile vllam habuiſſe in ſuos collegas aut in vniuerſam Eccleſiam, iuriſdictionem: ſed tantum cum fiebat primus, id eſt, Epiſcopus: vt fit in Decanis. Sed à iuriſdictione non debuit concludi ad ordinationem, ſiue conſecrationem. Nam, etſi iuriſdictio noua accederet, tamen nulla noua fiebat conſecratio.

XI. Altera Bellarmini ſolutio, Eundem autorem non ſemel clariſſime docere, multum intereſſe inter Epiſcopum & presbyterum: Quarto ad Epheſios, *In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt, hoc eſt, princeps Sacerdotum.* Et 3. prioris ad Timotheum. *Epiſcopi & presbyteri vna ordinatio eſt: vterque enim ſacerdos eſt: ſed Epiſcopus primus eſt: vt omnis Epiſcopus presbyter ſit, non tamen omnis presbyter Epiſcopus: hic enim Epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt. Denique Timotheum presbyterum ordinatum ſignificat: ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat: vnde & quemadmodum Epiſcopum ordinet oſtendit: neque enim fas erat, aut licebat vt inferior ordinaret maiorem: nemo enim tribuit quod non accepit.* Hæc ille: vbi vides maiorem eſſe Epiſcopum presbytero, & ideo à presbytero Epiſcopum ordinari non poſſe: quod presbyter non habeat Epiſcopalem ordinationem.

XII. Imo audacior Bellarminus eſt, quam Theologum deceat: dicerem falli: niſi toties repetitæ fallaciæ, doli mali ſuſpicionem iniicerent. Nuſquam autem docuit Ambroſius multum intereſſe inter Epiſcopum, & Presbyterum. Fateor dixiſſe in Epiſcopo omnes eſſe ordines: Sed eſſe Epiſcopum presbytero maiorem, quomodo inde conficitur? Nam id quidem nihil eſt aliud quam eum eſſe & Prophetã & Euangeliſtã, & presbyterum, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ, in miniſterio fidelium: ſic enim ipſe diſertis verbis ſeipſum interpretatur. Iam Epiſcopum eſſe primum ſacerdotem, & principem Sacerdotum, quidni dixerit? Nam vtroque vocabulo idem apud Latinos ſignificatur; principis inquam, & primi: quod pueris cognitum. Iam Epiſcopum omnem presbyterum, non contra omnem presbyterum Epiſcopum eſſe: hoc quid ſit ſequentia oſtendunt, *Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter presbyteros primus eſt.* Eſt igitur idem ac ſi conceptis verbis fuiſſet dictum, omnem presbyterum primum, eſſe presbyterum; non contra omnem presbyterum, eſſe presbyterum primũ: quomodo omnem Decanum eſſe Canonicum, at non omnem Canonicum eſſe Decanum. Et hæc, quid ad quæſtionem concludendam?

XIII. Denique vehementer errat, credens Ambroſium negaſſe Epiſcopum à presbytero ordinari: & habere presbyterum Epiſcopalem ordinationem. Hoc enim nunquam Ambroſius cogitauit, nedum dixerit. Et miror Bellarminum aut adeo ſupinum fuiſſe in legendo, vt id ſibi perſuaſerit: aut adeo confidentem ſui, vt nobis crediderit imponi potuiſſe tam craſſo mendatio. Explicat Ambroſius quare Paulus poſt Epiſcopum, ſtatim Diaconum nominarit, nulla diſtinctione facta inter Epiſcopum & Presbyterum. Diaconoque non tertio, vt fit, ſed ſecundo loco nominato. Ideo factum docet, quia idem ſint Epiſcopus & Presbyter; ſolo gradu diſtincti: nempe quia ille erat primus presbyterorum. Hoc igitur erat Ambroſio demonſtrandum. In eum finem aſſumit Timothei exemplum, quem creatum fuiſſe presbyterum pro certo habebat: Epiſcopum autem fuiſſe probat, ex eo, quod ei Paulus mandabat, vt Epiſcopos ordinaret. Hoc argumento: Quiſquis ordinat Epiſcopos, eſt Epiſcopus: At Timotheus ordinabat Epiſcopos Ergo Timotheus erat Epiſcopus. Probatur maior: quia ſi non Epiſcopus, ergo eſſet inferior Epiſcopo. At hoc fieri non poteſt: quia minor non poteſt ordinare maiorem. Conſtat ergo Timotheum fuiſſe Epiſcopum: at idem erat presbyter; ergo Epiſcopus & presbyter idem eſt. Hæc omnino mens Ambroſij: qui igitur non negauit Epiſcopum à presbytero poſſe ordinari: ſed tantum à minore maiorem, vt inde probaret, presbyterum non eſſe minorem. Cauit autem ne diceret, non poſſe æqualem ab æquali ordinari: non tantum quia id ſit contra vſum Eccleſiæ, in qua ſemper Epiſcopi ordinabantur ab Epiſcopis. Sed etiam quia nõ faceret ad præſens inſtitutum. Dixit igitur maiorem à minore non ordinari. Nam ſi Timotheus fuiſſet presbyter duntaxat, quo ſenſu presbyterum dici inualuit, poſt inductam eam Epiſcopi à presbytero diſtractionem, tum fuiſſet Epiſcopo minor. Ergo omnino à nobis eſt Ambroſius.

XIV. In Hieronymo non conſtat ſibi Ieſuita. Nam libro de Pontifice c. 8. non diſſimulat Hieronymum eſſe lapſum; *Videtur*, inquit, *Beatus Hieronymus in ſententia fuiſſe, vt exiſtimaret Epiſcopos, ſi de iuriſdictione agatur, eſſe*

*tur, eſſe quidem presbyteris maiores: ſed de iure Eccleſiaſtico non diuino. Quæ ſententia falſa eſt, & ſuo loco refellenda.* At vero libro de Clericis primo, c. 15 idem defendit Hieronymum contra Michaelem Medinam, affirmatque vbique agnoſcere Epiſcopum eſſet maiorem presbytero, quantum ad ordinis poteſtatem, idque ſine dubio iure diuino. Ita primo videtur Hieronymus Bellarmino ſentire nonnihil male de inæqualitate Epiſcopi & Presbyteri: deinde vero contra, nihil non bene. Quæ ſi non eſt contradictio, quid eſſe poteſt? Niſi forte iuriſdictionem ſeparet ab ordinis poteſtate: quod ego quidem intelligere non poſſum. Ipſe otioſe viderit.

XV. Sed reſpondet tamen; primo, in ea ſententia Hieronymum non admodum conſtantem videri: vt probabile ſit non fuiſſe certum. Quod ſi verum eſt; quid inde conficitur, niſi è duabus ſententiis eam amplectendam, quam Scripturarum autoritatibus confirmarit? At hæc illa eſt, quæ ex prima inſtitutione æquari dicit Epiſcopum presbytero. Nam alteram ille profecto nuſquam vllo Scripturæ teſtimonio confirmauit. Verum Bellarminus potius fallitur, non vero Hieronymus incertus fuit: alioqui quis eum credat pugnaturum diſertis Scripturæ locis? Hæc autem fuit eius conſtans ſententia: iure diuino, hoc eſt, ex ipſa Chriſti & Apoſtolorum inſtitutione pares fuiſſe Epiſcopos, Presbyteris: imo vero non pares: ſed vnum, idemque munus: poſtea tamen humana autoritate effectum vt his illi præferrentur.

XVI. Audiamus tamen Hieronymianæ inconſtantiæ argumenta. Primum, quod, cum conſuetudinem quæ Epiſcopos Presbyteris antepoſuit, cœpiſſe aſſerat ab eo tempore, quo dictum eſt, Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego autem Cephæ: tamen Presbyteros pares eſſe colligere nitatur ex Epiſtola ad Titum, & ad Philippenſes, & ex Epiſtolis Petri & Iohānis; quæ ſcriptæ ſunt poſt Epiſtolam priorem ad Corinthios. Reſpondeo Hieronymū, huic mutationi nullū certum tempus aſſignare; ſed tantum cauſſam indicare, ob quam facta ſit, poſt initia aliter conſtituta: eam autem cauſſam, eſſe ſchiſmata, quæ ſignificare placuit formula ab Apoſtolo mutuata eleganti, & trita. Quomodo in alio negotio Origenes tractatu in Matth. 1. *Petra eſt quiſquis Chriſti diſcipulus eſt, ex quo biberūt de ſpirituali conſequente petra*: mutuatus à Paulo ea verba quæ de Iſraelitis in deſerto dicta erant. Et confirmatur hoc ipſum ab ea ipſa temporis circunſtantia, quam Bellarminus notat Nam quis credat Hieronymum, aut tam imperitum, vt neſciret Epiſtolam ad Timotheum longe poſt priorem ad Corinthios ſcriptam: aut tam immemorem, vt non venerit ei in mentem? Facile eſt argumentum. Hieronymus obſeruauit eundem eſſe Epiſcopū & Presbyterum, tum temporis, cum ſcriberet ad Timotheum Paulus: ergo non credidit, tum cum apud Corinthios ſchiſmata orirentur, eum ordinem fuiſſe toto orbe mutatum.

XVII. Secundum argumentum Bellarmini. Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis dicit, Iacobum continuo à Chriſti aſcenſione ordinatum Epiſcopum Hieroſolymorum. Nullum ergo tempus fuit, quo Eccleſiæ ſine Epiſcopis à Presbyteris gubernarentur. Reſpondeo: Epiſcopum appellari primum Presbyterum: eoque munere Iacobum functum, id eſt, ei primo omnium demandatam eius Eccleſiæ curam: itaque vere fuiſſe primum Presbyterum, adeoque Epiſcopum.

XVIII. Tertium: Idem in epiſtola ad Euagrium comparat Epiſcopum Aaroni, Presbyteros filiis Aaronis. Et epiſtola ad Marcellam de erroribus Montani, Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere dicit. At certe Aaron iure diuino maior erat ordine & iuriſdictione filiis ſuis: & Apoſtoli omnibus aliis Chriſti diſcipulis. Reſpondeo, in priore loco Hieronymum, de Epiſcopis & Presbyteris agere, ex more ſui temporis, quo concedimus ampliorem fuiſſe iuriſdictionem illis, quam his At id non ab initio: ſed poſtea, cum vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur; etiam ſi ipſe etiam Presbyter: ſicut in Veteri Teſtamento, eiuſdem erant officij Aaron & filij eius. Numerorum tertio, *Aaron autem & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij*: Sed is qui ſummus Pontifex erat aliorum erat princeps. Itaq; etſi iure diuino Aaron maior eſſet filiis ſuis: tamen non idem ſequitur de Epiſcopis & Presbyteris: quia non vt ille, ſic iſti ab initio ita fuere conſtituti: Tantum ergo ſequitur maiores eſſe. In altero loco, non fideliter verſatus eſt Ieſuita. Non enim Hieronym. dixit Apoſtolis Epiſcopos ſuccedere: ſed dixit, *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*: quod verum eodē ſenſu, quē iam iam expoſuimus, nēpe poſt initia, & mutatione facta.

XIX Quartum: Idem contra Iouinianum, libro primo affirmat ab ipſo Chriſto vnum electum ex duodecim, id eſt, Petrum, *vt capite conſtituto ſchiſmatum tolleretur occaſio*. Cur non igitur credemus Chriſtum voluiſſe, vt inter Presbyteros vnus emineret?

XX Reſpondeo, non eſſe id Hieronymi argumentum, ſed Bellarmini coniecturam: nos autem nunc quærere, quid Hieronymus ſenſerit, non quid Bellarminus arioletur. Hoc ergo nobis eſt ſatis, nuſquam illum docere Epiſcopum iure diuino maiorem eſſe presbytero, quod Bellarminus probandum ſumſerat: diſerte vero dixiſſe, ab initio eundem fuiſſe ordinem; ſed poſtea mutatum: & ſic tamen mutatum, vt non imponeretur reliquis Presbyteris Dominus; ſed duntaxat ἀταξίας gratia, vnus reliquis præeſſet, vt tamen communi conſilio omnes Eccleſiam adminiſtrarent, quod eſt Ariſtocraticum.

XXI. Sed idem Bellarminus c. 8. lib. 1. de Pontifice negat Hieronymum iuuare Ariſtocratiam presbyterorum: his argumentis: Primo: quia non dicat in prima Eccleſia viguiſſe eam presbyterorum Ariſtocratiam: & fuiſſe illud bonum regimen, & poſtea per abuſionem aliquam introductam eſſe à malis homin b. Monarchiam. Secundo quod contra affirmet, Ariſtocratiam, quæ initio erat, quia non bene ſuccedebat, & plurimæ inde ſeditiones oriebantur & ſchiſmata, communi orbis terræ conſilio, in Monarchiam eſſe mutatam. Tertio: quod in Epiſtola ad Euagrium, aſſerat Marcum Epiſcopum fuiſſe Alexandriæ.

XXII. Reſpondeo ad primum, etiamſi Ariſtocratia non ſit totidem ſyllabis nominata, tamen certo ſignificatam, his verbis, *Communi Presbyterorum conſilio Eccleſia gubernantur*: & ruiſus, *magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, presbyteris eſſe maiores Epiſcopos.* Bonum autem fuiſſe id regiminis genus, inde ſequitur, quod ab initio fuiſſe dicat: cum in Eccleſia id ſit optimum, quod veriſſimum: id autem veriſſimum quod primum. Dicat etiam fuiſſe ex inſtitutionis Dominicæ veritate. Quis vero toleret, in Eccleſia, ſic deſperate blaſphemantem, eſſe à Chriſto inſtitutum aliquid non bonum? Quid quod eam Ariſtocratiam tam diligenter Scripturis confirmet? Et ſic inſurgent Ieſuitæ in Scripturarum ſanctitatem, vt negemus id eſſe bonum, quod ex iis confirmationem accipiat? Non fuit autem neceſſe Hieronymo dicere, Monarchiam à malis hominibus inſtitutam fuiſſe in Eccleſia. Cur enim à malis inſtitutum diceret, quod ne inſtitutum quidem eſt prorſus? Neque ſane ille Monarchiam aut nominauit, aut indicauit: tantum dixit, vnum reliquis præpoſitum. Atqui cunque cæteris præponitur, non fit tamen Monarcha: Nam & in Democratia, & in Ariſtocratia, neceſſe eſt ſic fieri. Præterea, cum morem à bonis viris, & bono fine inductum, nemo eſt qui dubitet: vtinam non carnali prudentia potius, quam Spiritus ductu: vtinam tam fauſto proſperoque ſucceſſu, quam magno omnium applauſu.

XXIII. Ad ſecundum. Rurſus falſum, Hieronymum dixiſſe Ariſtocratiam mutatam in Monarchiam: falſum etiam dixiſſe, Ariſtocratiam non bene ceſſiſſe, aut inde orta ſchiſmata. Orta quidem dixit, ſed inde orta non dixit: Potuiſſe aliunde, quam ex Ariſtocratiæ vitio, quis nō videt? maxime cum ne inſtituto quidem Epiſcoporum primatu eſſe deſierint? quin plura potius ex eo numerari poſſint, quam prius? quis enim in hiſtoriis non legit frequentiſſimas Epiſcoporum inter ſe, & Eccleſiarum ab Epiſcopis diſſenſiones? Et denique, id quod à Chriſto inſtitutum fuit, non bene ceſſiſſe, quam exſecranda eſt blaſphemia? Quaſi Chriſtus non ſatis fuerit in futurum prouidens. Blaſphement in hunc modum Ieſuitæ: nos Chriſtiani, diuinam potius ſapientiam adoremus.

XXIV. Ad tertium, Marcum Alexandriæ Epiſcopum ab Hieronymo nominatum nego. Verba ſunt, *Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos*; Viden' ſuo titulo Marcum diſtinctum ab Heracla & Dionyſio? Illum Euangeliſtam fuiſſe, iſtos Epiſcopos? Senſus Marcum ab initio Eccleſiam Antiochenam conſtituiſſe, (in viris illuſtribus) & ſic inſtituiſſe, vt presbyteri vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominarent. Eam autem inſtitutionem perſeueraſſe ad Heraclam vſq; & Dionyſium: hoc eſt, ad exactum annum centeſimum quadargeſimum: ac tum demum immutatam.

## CAP. VI.

### *An iure diuino Epiſcopus maior ſit Presbytero.*

I. AVdiuimus peſſime interpretantem veteres Bellarminum. Nunc diſputantem videamus, ex iure diuino maiorem eſſe Presbytero Epiſcopum. Primum argumentum: Solus Epiſcopus ordinare poteſt Presbyteros: Presbyteri autem ordinare non poſſunt: Atque hoc primo factum docet: tum factū iure diuino. Factum: teſtibus, Damaſo epiſt. 3. Concilio Antiocheno, cap. 10. Ancyrano canone 12. Epiphanio, hæreſi 75. Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio in 3. & 4. prioris ad Timoth. Hieronymo ad Euagrium: Leone, epiſt. 88. Factum iure diuino. Primo: quia habebatur irritum, ſi quid in ea re feciſſent, qui veri Epiſcopi non eſſent. Ex Gregorio Tertio ad Bonifacium; & Damaſo epiſtola tertia. At ſi presbyteri iure diuino ex ipſa ſua ordinatione, haberent ordinandi poteſtatem, non eſſet irritum quod facerent, tametſi prohibente Eccleſia facerent. Præterea, cum ordinatio, Sacramentum ſit (vt etiam Caluinus admittit) & Sacramenta omnia ſint à Deo inſtituta: certe qui maior eſt ordinis poteſtate, quæ per Sacramentum ordinationis accipitur, is quoque maior eſt ex diuina inſtitutione. Tertio: quia Epiſcopi ſoli, vt ordinarii Miniſtri, confirmationis Sacramentum conferre, & templa atq; altaria poſſunt conſecrare: teſtibus Leone ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ: Damaſo epiſt. 3. Dionyſio, cap. 4. & 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Sed & Apoſtolos ipſos, quibus Epiſcopi ſuccedunt, miſſos, vt per manus impoſitionem, darent iam baptiſatis Spiritum S. legimus Actor. 8.

II. Sed contra: Presbyterorum eſſe Epiſcopos ordinare hæc teſtantur. Paulus Timotheum aſſerit accepiſſe impoſitionē manuum presbyterii, id eſt, cœtus presbyterorum; quarto capite prioris ad Timotheum. Atque hoc quidem ſcio nonnullos interpretari, de officio; vt ſit ſenſus, impoſitionem accepiſſe, vt eſſet presbyter: ſed illi viderint, quo iure τὸ πρεσβυτέριον, *Presbyteratum* exponant. Certe Lucæ 22. redditur *Seniores plebis*: & Actor. 22. *Omnes maiores natu*. Taceo quam ſit inſolens phraſis, impoſitio manuum presbyterii, eo ſenſu. Item Timotheus presbyter (quod notat Ambroſius) iubetur Epiſcopos conſtituere, id eſt, ordinare. Deniq; Hieronymus teſtatur, Alexandrinos Presbyteros ſolitos eſſe ſpatio centum quadraginta annorum, ſibi ex ſuo numero Epiſcopum deligere.

III. Quid ergo de iis autoribus dicimus, quos Bellarminus citauit? Primum, agere de ſui temporis politia: non de ea quæ fuit ab Eccleſiæ initiis: & quod eorum autorum antiquiſſimum eſt, Ancyranum Concilium paruo interuallo Nycenum præceſſiſſe, anno Chriſti octauo, vt notatur in tomis Conciliorum, vel certe decimoquarto, vt Baronius, ſupra trecenteſimum. Nos autem concedimus à quo tempore inualuit ea politiæ mutatio, quæ Epiſcopum à Presbytero ſeparauit, ordinationes Presbyteris denegatas. Sed inde negamus ſequi nunquam aliter factum. Quin Epiphanius ipſe, Aerio obiicienti Scripturæ locos, nihil habet, quod reſpondeat, niſi confugiat ad temporum diſtinctionem; καὶ τὸ ἑκάστου πρᾶγμα, οὐκ ἀπ᾽ ἀρχῆς τὰ πάντα ἔσχεν, ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς τελείωσιν τῆς χρείας κατηρτίζετο. *Neque enim ab initio hæc res habuit omnia: ſed procedente tempore quæ requirebantur ad vtilitatis perfectionē, concinnata ſunt.*

IV. Deinde, Ancyranum, & Antiochenum Concilium, item Damaſus, loquuntur de Chorepiſcopis. Quos prohibitos fuiſſe ordinare a quis miretur, quum eis ne locum quidem eſſe Damaſus velit in Eccleſia? Et tamen in Conciliorum tomis: & ab Iſidoro de Officiis diuinis li. 2. c. 6. ii intelliguntur Vicarii Epiſcoporum, quos hodie in vſu eſſe apud Papiſtas: & ordinationum autoritatem vſurpare, nemo neſcit. Itaq; fateantur

Papi-

Papiſtæ, vel ea ſtatuta non eſſe iuris diuini: vel à ſeipſis violari ius diuinum.

V. Theophylactus in 3. & 4. prioris ad Timotheum nihil habet, quod ad hanc controuerſiam pertineat. Chryſoſtomus & Oecumenius, hoc tantum, quod illa verba, *per impoſitionem manuum Presbyterij*, negant intelligenda de Presbyteris, ſed de Epiſcopis, quia non ſit veriſimile Timotheum ordinatum eſſe à Presbyteris. Quod illi ſine dubio dixerunt, vel ex præiudicio ſui temporis, vel potius innuentes Presbyteros olim Epiſcopos fuiſſe. Chryſoſtomus enim in 3. diſerte aſſerit, ὅτι οὐ πολύ τι μέσον: *Inter Epiſcopum & Presbyterum intereſſe ferme nihil*, καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. *Quippe & Presbyteris docendi partes commiſſæ ſunt, ſed & præſidendi Eccleſiæ*, τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ αὐτοὺς ὑπερβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. *Nam ſola ordinatione eos Epiſcopi ſuperant: atque hoc tantum pluſquam presbyteri habere videntur*. Atque hanc cauſam putat, cur omiſſi ſint à Paulo Presbyteri: & Diaconi ſtatim poſt Epiſcopos inducti. Supereſt Hieronymus, quem manifeſtum eſt de ſuo loqui tempore; è quo petit argumentum, quo probet olim eundem fuiſſe Epiſcopum & Presbyterum ſcilicet, quod etiam tum, cum iampridem inualuiſſet diſtractio eorum nominum in totidem gradus, tamen excepta ordinatione, nihil Epiſcopus ageret, quod non Presbyter.

VI. Ergo non bene probatur factum. Ius vero diuinum multo minus. Non enim ſequitur, ſi irritæ erant presbyterorum ordinationes, ideo de iure diuino maiores eſſe Epiſcopos. Nam & Chorepiſcoporum ordinationes volebat Damaſus irritas eſſe, quæ tamen hodie apud Papiſtas in vſu ſunt. Et quis non videt, potuiſſe id fieri, eodem iure, quo prima inſtitutio erat mutata: nempe conſuetudine, id eſt, iure humano? Et de Alexandrina Eccleſia quid dicant? Nam ſi in ea Epiſcopus conſtituebatur à Presbyteris: & ipſe Epiſcopus nihil erat aliud quam primus Presbyter: tum certe in ea ſaltem Eccleſia, Presbyteri ordinabant. Quis docuit eas ordinationes fuiſſe irritas? Ergo merum, id eſt, ius humanum: pro variis locis varium: quod iuri diuino non accidit. Miror autem dixiſſe Ieſuitam eſſe aliquid non irritum, quod Eccleſia iubeat eſſe irritum. Nam hoc quidem multum reſecat de ea authoritate, quam Ieſuitæ ſolent Eccleſiæ vindicare. Sed vt id mittamus: ſi irritæ erant à Presbyteris factæ ordinationes: intelligendum de facto non de iure; videlicet, quatenus praua conſuetudo obtinuit, vt homines immutarent, quod erat ab initio conſtitutum. Atque id quis miretur, qui legerit irritam olim fuiſſe Epiſoporum Romanorum electionem, non annuente Imperatore? *Nihil enim à Clero in eligendo pontifice actum erat, niſi eius electionem Imperator approbaſſet*. Verba Platinæ in Pelagio ſecundo.

VII. Ordinationem eſſe Sacramentum negamus: negamus id à Caluino dictum: Nam is tantum impoſitionem manuum primis temporibus fuiſſe quoddam Sacramentum dixit. Eſt vero aliud impoſitio manuum, aliud ordinatio: & rurſus, aliud quoddam Sacramentum, quam ſimpliciter Sacramentum. Sed hæc aliena ſunt ab hoc inſtituto. Negamus Epiſcopos maiores eſſe ordinis poteſtate, quæ per Sacramentum ordinis accipitur: quia teſte Ambroſio, vna eſt ordinatio Epiſcopi & Presbyteri.

VIII. De templorum & altarium conſecratione, reſpondeo non eſſe proferendam pro argumento: cum ſit è ritibus in Eccleſiam inductis ex peruerſa Ethnicæ ſuperſtitionis affectatione. Confirmationem eſſe Sacramentum, ſoli dicunt Papiſtæ: & errant dum dicunt. Et tamen Hieronymus teſtis eſt eam ſolis Epiſcopis permiſſam, nulla neceſſitate legis, ſed tantum conſuetudine ad honorem Sacerdotii: libro contra Luciferianos. Quinet à Ambroſ. 4. ad Epheſ. *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*. Sed & Clemens Pædagogi 3. τίνι γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἐπιθήσει χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui imponet presbyter manus? cui benedicet?* Quæ ergo Dionyſius, Leo, Damaſusq; dicunt, conſuetudinem politiamque eius temporis oſtendunt: non legem vniuerſalem. Act. cap. 8. Diaconum comparat Apoſtolo; non Epiſcopum Presbytero. Præterea, id Spiritus donum, non erat confirmatio, quæ poſtea ex præpoſtero imitationis ſtudio inualuit: ſed extraordinarium donum, quo fiebat, vt ii, quibus imponebantur manus, viſibilia dona Spiritus acciperent. Porro Apoſtolis ſucceſſiſſe, nulla alia ratione dici poſſunt, quam qua Presbyteri: quandoquidem tum temporis iidem vtrique erant. Nec poſtea facta mutatio, presbyteros debuit hoc honore ſuo priuare.

IX. Secundum argumentum Bellarmini: In Teſtamento Veteri erat vnus ſummus Sacerdos Aaron, & qui ei ſuccedebant: erant præterea minores ſacerdotes, omnes filii Aaron, & qui ab eis: ac denique erant Leuitæ cæteri, eoſque tres gradus conſtat fuiſſe diſtinctos iure diuino: ita vt Pontifex Sacerdotibus: hi Leuitis maiores eſſent diſtincta conſecratione: diſtinctis veſtibus, & officiis. At Epiſcopi id ſunt in Eccleſia, quod Pontifices in Veteri Teſtamento: & Presbyteri, quod Sacerdotes: & Diaconi, quod Leuitæ: teſtibus Damaſo Epiſt. 3. Hieronymo ad Euagrium, Leone Epiſt 88. Concilio Hiſpalenſi ſecundo Canone 7. Ratione etiam: quia non debet diſtinctior fuiſſe in Veteri Teſtamento Hierarchia, quam in Nouo: cum illud vmbræ, iſtud imagini comparetur ad Hebræos 10. Sequitur ergo, vt iure diuino, ſicut Pontifices Sacerdotibus; ita Epiſcopi Presbyteris autoritate præſtent.

X. Reſpondeo: negari, Chriſtianos Epiſcopos ex ſua inſtitutione reſpondere ſummis Pontificibus Iudæis. Sunt enim manifeſtæ diſcriminis notæ. Primum Apoſtolus ad Hebræos, aſſerit id nobis eſſe Chriſtum, quod erat ſummus Pontifex: ſiue hunc illius typum fuiſſe. Eſſe vero Apoſtolum teſtem omnibus quantumlibet Antiquis præferendum nullus dubitat Chriſtianus. Deinde ſummus Sacerdos in toto Iſraele fuit vnicus: cum apud Chriſtianos Epiſcopi ſint innumeri. In Scripturis Presbyteri promiſcue vocantur Epiſcopi: at minores Sacerdotes, nunquam olim Pontifices maximi. Et ſane, quid Bellarmino in mentem venerit, non facile dixerim: niſi forte nimis intentus in hoc negotiũ, reliqua ſuę religionis placita ſecurius obliuioni mandet. Nam ſi in Eccleſia, quilibet Epiſcopus, id quod ſummus Pontifex apud Iudæos, οἴχεται ὁ ἀρχιερωσύνης: quia ſupra quemlibet Epiſcopum nullus dabitur gradus altior.

XI. Ratio autem eſt ἄλογος. Nam primo non valet conſequentia: Nouum Teſtamentum eſt imago, Vetus eſt vmbra: Ergo in illo Hierarchia debet eſſe diſtinctior. Nam hæc extrema nullo medio vinciuntur: non enim ea vmbræ & imaginis comparatio inſtituitur, ad indicandam Hierarchiam: vllumve politiæ ordinem: ſed potius rerum promiſſarum exhibitionem: hæ enim in Veteri Teſtamento obſcurius proponebantur; in Nouo luculentius: ad id autẽ nihil omnino confert graduum aut multiplicatio, aut compendium. Secundo; quia miniſterium Veteris Teſtamenti erat operoſius; ideo neceſſarii fuiſſe videntur plures gradus miniſterii: vnde non tantum Pontifices, Sacerdotes, Leuitæ diſtinguebantur: ſed etiam ipſi Leuitæ diſtribuebantur in tres ordines: quibus in Eccleſia nulli reſpondent: & ipſi ſacerdotes in varias τάξεις. Itaq; hac ſaltem parte diſtinctius eſſet miniſterium vetus, nouo miniſterio: quod non fert Bellarminiana ratio: ſi ratio. Denique, etſi non differant ab Epiſcopis Presbyteri, tamen eſſe diſtinctionem veterem Hierarchiam noua, Papiſtæ ſaltem non deberent aſſerere: apud quos tot numerantur gradus Oſtiariorum, Cantorum Lectorum, Exorciſtarum; reliquorum.

XII. Tertium argumentum: Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe, Presbyteros autem Septuaginta diſcipulis, docent conſtanter omnes Patres. Concilium Neocæſarienſe, canone 13. Damaſus Epiſtola 3. Anacletus Epiſt. 2. Hieronymus ad Marcellam: Auguſtinus in Pſalmum 44. Leo Epiſt. 88. Iſidorus libr. 2. de Diuinis officiis: Beda in caput 10. Lucæ: & alii. Fuiſſe autem Apoſtolos iure diuino maiores diſcipulis ſeptuaginta, certum. Ergo & Epiſcopos Presbyteris.

XIII. Reſpondeo ſi verum ſit, vt antea diſputatum, Presbyteros & Epiſcopos eoſdem eſſe de iure diuino, id eſt, ab initio; tum omnino falſum illos quidem ſeptuaginta diſcipulis, hos vero Apoſtolis ſuccedere. Atque adeo, ſi aliquando hoc aſſertum, tum aſſertum eſt, cum mutatio facta eſt: itaque non ſignificatum, iure diuino eam graduum inæqualitatem eſſe conſtitutam: ſed tantum conſuetudine ſic inductam, habere ſimilitudinem quandam cum illa veteri diſtinctione. Itaque à Bellarmino nullus citatur, qui non longè abfuerit ab initiis Eccleſiæ. Concilium enim Neocæſarienſe paucis annis abeſt à Niceno: atque adeo à Baronio conicitur in annum trecenteſimum decimum quartum, quo teſtimonio nullum Bellarminus habet antiquius.

XIV. Præterea in laudandis teſtibus, merito eius & fidem deſideremus & iudicium quidem, quia Damaſi Epiſtola, & Leonis, & Anacleti, ſunt ſuppoſititiæ. Nam illa Damaſi, cõſules habet adſcriptos, Libium, & Theodoſium IIII. qui nunquam fuerunt. Leonis tota ad verbum deſcripta eſt, pauculis additis, immutatiſve, & factis peioribus, è ſeptimo Canone Hiſpalenſis Concilij ſecundi. De Anacleto actum alias. De fide quid dicam? Neocæſarienſis canon falſo citatur. Is enim Chorepiſcopos inſtitutos dicit ad exemplum ſeptuaginta ſeniorum. Sunt autem illi; non qui ſunt à Chriſto electi, & diſcipuli vocati: ſed quos Moſes ex ſoceri ſui conſilio aſſumpſit, Exodi 24. Hieronymus ad Marcellam ſcribit, *apud nos Apoſtolorum locum tenent Epiſcopi*. Auguſtinus in Pſalmum 44. *Pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi*. De Presbyteris neuter quicquam.

XV. Quartum argumentum, Matthæi 24. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*. Ea verba Hilarius & cæteri Patres, de Epiſcopis dicta eſſe volunt: ex quo intelligimus, ipſo Domino inſtituente, Epiſcoporum propriam eſſe curam, & gubernationem Eccleſiæ. Quo etiam pertinet locus ille Actorum vigeſimo, *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*.

XVI Reſpondeo: locum Matthæi non agere proprie de Epiſcopis: ſed καθόλου de omnibus, quibus à Deo demandatum aliquod munus: etiam de Apoſtolis. Nam eis dictum, *Ideo & vos eſtote parati: quia neſcitis horam, qua Filius hominis venturus eſt*. Quæ verba illuſtrantur ea ſimilitudine boni, maliq; ſerui, quem Dominus ſuper domo ſua conſtituerit. Itaq; Hieron. *Exemplum patrisfamilias, h. e. ſui, & fidelium ſeruorum, id eſt, Apoſtolorum, ad cohortationem ſolicitæ mentis interſerit*. Et latius Chryſoſt. Homil. 78. in Matth. ταῦτα δὲ οὐ περὶ χρημάτων εἴρηται μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ λόγου, καὶ περὶ δυνάμεως, καὶ περὶ χαρισμάτων, καὶ περὶ πάσης οἰκονομίας, ἧς ἕκαστος ἐνεχειρίσθη, αὐτῇ καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας τοὺς πολιτικοὺς ἁρμόσειεν ἂν ἡ παραβολή. ἕκαστον γὰρ εἰς τὸ κοινὸν συμφέρον ἀποχρήσασθαι δεῖ, κἂν σοφίαν ἔχῃς, κἂν ἀρχήν, κἂν πλοῦτον, κἂν ὁτιοῦν, μὴ ἐπὶ βλάβῃ τῶν συνδούλων, μηδὲ ἐπ' ἀπωλείᾳ ἑαυτοῦ. *Hæc non de pecuniis ſolummodo, verum etiam de ſermone, & potentia, & donis gratuitis, omnique diſpenſatione, quæ cuilibet commiſſa ſit, dicta ſunt. Quin & principibus politicis congruet hæc parabola. Decet enim quemlibet, quæcunque habet iis vti ad communem vtilitatem: ſiue ſapientiam habeas, ſiue principatum, ſiue diuitias, ſiue quicquam aliud: minime vero ad detrimentum conſeruorum, & proprium interitum*. Et autor operis imperfecti, Hom. 51. *De bonis & iuſtis ſacerdotibus introducit ſermonẽ, dicens, Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens?* Theophylactus à Chryſoſtomo non diſcedit, ſuo more, πιστὸς δὲ δοῦλος καὶ φρόνιμος, ποῖός ἐστι διδάσκαλος ὁ ἐν καιρῷ διδοὺς τὴν τροφὴν ἑκάστῳ τῶν ὑπ' αὐτοῦ διδασκομένων; οἷος ὁ Παῦλος, νῦν μὲν γάλα ποτίζων, νῦν δὲ σοφίαν λαλῶν. πιστὸς δὲ διάκονος ὢν, ὁ ποτὲ ὢν βλάσφημος. καὶ φρόνιμος, ὡς μὴ ἀγνοῶν τὰ νοήματα τοῦ ἐχθροῦ. ἀλλὰ καὶ πᾶς ὅστις παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν, εἴτε χρήματα, εἴτε δυναστείαν, εἴτε ἀρχήν, ὀφείλει καὶ πιστῶς καὶ φρονίμως διοικεῖν ταῦτα, ὡς λόγον δώσων. *Fidelis autem ſeruus & prudens, quis magiſter, qui in tempore cibum præbet iis qui à ſe docentur: qualis Paulus, nunc quidem lacte potans, nunc autem ſapientiam loquens: fidelis miniſter, qui prius blaſphemus: & prudens, vtpote qui non ignoraret cogitationes inimici. Sed & quicunque à Deo accepit pecunias, potentiam, principatum, debet tum fideliter, tum prudenter ea adminiſtrare, vt rationem redditurus*. Denique Lyranus, *Poteſt intelligi tripliciter: vno modo in diſpenſatione ſpiritualium, quod pertinet proprie pertinet ad prælatos: alio modo in regimine temporalium, quod pertinet ad principes ſeculares & iudices: tertio modo, in bono vſu gratiarum ſibi à Deo collatarum, & hoc pertinet ad omnes*. Credat his tot teſtibus Bellarminus, non eſſe hoc loco proprie intelligendos Epiſcopos: Imo aduertat ipſum Hilarium, non diſcedere in aliam partẽ. *Quanquam*, inquit, *in commune nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt Epiſcopis in exſpectatione aduentuque ſuo ſollicitudinem mandat.*

Adeo

Adeo ſubleſta fides eſt Ieſuitarum in citandis Veteribus. Nunc incogitantia quanta eſt? Omnes qui præſunt domui Dei, debent eſſe prudentes, & fideles. Ergo Epiſcopi iure diuino maiores ſunt Presbyteris. Ita pugnant aduerſarij veritatis.

XVII. Locus ex *Actis* non minus eſt alienus. Nam ex eo conſtat Epiſcopos & Presbyteros eoſdem eſſe: teſte Hieronymo, atque aliis. Nam quos prius πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας *Presbyteros Eccleſiæ*, Lucas appellauit: eos poſtea Paulus dicit à Spiritu conſtitutos eſſe Epiſcopos. Et quidem ad paſcendam, ſiue, vt Latinus vertit interpres, ad regendam Eccleſiam Dei: vnde docemur adminiſtrandæ Eccleſiæ autoritatem eſſe penes eos: quod etiam poſt factam illam immanem diſtractionem non potuit prorſus aboleri: adeo vt qui ei diſtractioni fauerent plurimum, ab ea adminiſtratione, ordinationem ſolam eximant. Iſidorus de Officiis Eccleſiaſticis libro 2. c. 7. *His, ſicut Epiſcopis, diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuina corporis & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi. Sed ſola, propter autoritatem, ſummo ſacerdoti clericorum ordinatio & conſecratio reſeruata eſt.*

XIIX Hinc Hieronymus ad Euagrium: *Quid facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod presbyter non faciat?* Hæc, cum non omnino in tyrannidem primatus abiſſet: ſed vt genium agnoſcas, deinceps longe progreſſum vlterius: & multa alia Presbyteris prohibita, quaſi aut nullo modo facere, aut certe non ſuo, ſed alieno iure & precario poſſet: de quibus Hiſpalenſe Concilium canone ſeptimo, ex quo plagiarij conſuerunt Leonis Decretalem octogeſimam octauam. Ibi enim non tantum ordinare, vt primum, aut, vt poſtea, confirmare: ſed etiam baſilicas, altariaque erigere, conſecrareve, imponere manus baptiſandis conuerſiſve ex hæreſi, aut publice quenquam pœnitentem conciliare, aut formatas mittere. Quid plura? Baptiſterium ingredi præſente Epiſcopo, infantem tingere, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, populum docere, benedicere, ſalutare, aut plebem exhortari: hæc, inquam, omnia Presbyteris prohibita. Idque hoc prætextu, *vt per hoc, & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi pontificis demonſtretur.* Ita tandem factum paulatim, vt vix alio loco presbyteri ſacrificuli ſint, quam eorum, qui apud Epiſcopos culinæ inſeruiunt. Tantus fuit ſummi illius Pontificatus amor. Imo ſic, à bonis initiis tantillum digrediens humana ſapientia, proficit in deterius.

XVIIII. Quintum argumentum: Si iure humano Epiſcopi Presbyteris præeſſent, inueniretur principium aliquod huius inſtitutionis poſt Apoſtolica tempora. At ipſo Apoſtolorum tempore, is erat Eccleſiæ vſus, vt Presbyteri Epiſcopis ſubeſſent. Nam prioris ad Timotheum 5. Apoſtolus ita ſcribit, *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*: vbi videmus Apoſtolorum tempore, iudicem presbyterorum, ac proinde verum principem ac ſuperiorem fuiſſe Epiſcopum.

XX. Reſpondeo: Cum ex ſcriptis Apoſtolicis, non nos tantum hodie, ſed etiam iam olim nominatiſſimi Patres, probarint ab initio non ſic fuiſſe, neceſſe omnino eſt aliquod fuiſſe temporis momentum, quo noua conſuetudo cœperit induci. Non ſequi autem nullum eſſe, etiamſi ſit incognitum, aut non obſeruatum. Multa enim euenire, quæ facta potius aduertantur, quam obſeruentur, cum primum fieri occipiunt: ſic Archiepiſcopi, & Patriarchæ in vſum abierunt; quorum ante Conſtantini tempora altum ſilentium: & tamen quando aut vbi cœperint, non conſtat: ſic Cardinales, quorũ faſtui vix ſufficit orbis Chriſtianus, à quibus initiis ad tantam dignitatem peruenerint, ne ipſi quidem ſciunt Papiſtæ. Et horum tamen graduum, nemo auſit originem ab Apoſtolicis temporibus repetere. Id inde fit, quia nemo vult videri quicquam innouare. Ideo illi etiam Hiſpalenſes, qui de Presbyterorum iure pro arbitrio deciderunt, tamen priores canones citarunt confidenter.

XXI. Porro Paulus ſcribit ad Timotheum, quem fuiſſe presbyterum pro certo Patres ſumunt. Itaque hinc neceſſario conficitur, nihil eum locum pertinere ad inæqualitatem Epiſcopi & Presbyteri. Atque adeo presbyterum illum, aduerſus quem non vult Apoſtolus recipi accuſationem, Ambroſius Epiſcopum interpretatur. *Quoniam*, inquit, *huius ordinis ſublimis honor eſt (huiuſmodi enim Vicarij Chriſti ſunt) idcirco non facile de hac perſona accuſatio debet admitti.* Et Theodoretus eum presbyterum deſignat cui Eccleſia eſt credita. Quanquam Cyprianus ad Quirinum libro 3. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, non munus vllum Eccleſiaſticum, ſed duntaxat ætatem ſignificari putant. Sed vtut ſit, nihil ad primatum.

XXII. Nec legitima concluſio eſt, Epiſcopi erant iudices presbyterorum: ergo & principes. Nam quis neſcit, æquales ab æqualibus iudicari? Certe ille, quiſquis eſt, *Areopagita*, ſenſit τοὺς τῶν ἀποστόλων διαδόχους iudicãdos παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων. Atq; ita factitatum. Nam Epiſcoporum cauſſæ coram Epiſcopis iudicabantur in Concilio. Sed & Petrus ipſe coram Apoſtolis & fratribus cauſſam agit: Actorum vndecimo.

XXIII. Denique citat Patres Bellarminus. Ignatium ad Philadelphienſes. *Boni ſunt Sacerdotes, & ſermonis miniſtri: melior autem eſt Pontifex, cui credita ſunt Sancta Sanctorum, cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta Dei.* Clementem *Apoſtolorum canonibus*, canone 40. *Presbyter, & Diaconi, præter Epiſcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.* Dionyſium *Areopagitam*, qui c. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, primo loco Pontifices, ſecundo Sacerdotes, tertio Miniſtros ponit. Irenæum libr. 3 c. 3. *Habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi, & ſucceſſores eorum. Nam ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, iis vel maxime traderent ea, quibus ipſas Eccleſias committebant.* Tertullianum, libro de Baptiſmo. *Ius habet dandi Baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, ſed non ſine Epiſcopi facultate.*

XXIV. Reſpondeo, horum autoritates nihil efficere. Ratio, quia non oſtendunt nullum vnquam tempus extitiſſe, cum eſſent Epiſcopi pares Presbyteris: ſed tantum inæqualitatem eſſe vetuſtiſſimam, ac vicinam Apoſtolorum temporibus: quod nos vltro fatemur. Nam Hieronymus, cum docet eam inæqualitatem inualuiſſe apud Alexandrinos, temporib. Heraclæ & Dionyſij: ſatis diſerte docet antiquiſſimam eam fuiſſe. Nam ij vixerunt circa annum centeſimum quadrageſimum; & quod excurrit. & tamen ſic deſignatur Eccleſia, quę omnium poſtrema eam innouationem admiſerit: quam propterea coniicere licet factam, aut nondum elapſo, aut vix elapſo primo ſeculo. At Ignatius peruenit vſque ad finem primi ſeculi, occiſus anno Traiani vndecimo, iuxta Baronium: Chriſti autem centeſimo decimo. Irenæus, & Tertullianus, non paulo poſt. Nam Clementis Apoſtolici Canones, non eſt quod magni faciamus. Photius Bibliothecæ c. 113. ἀνεγνώσθη Κλήμεντος τοῦ Ῥώμης τεύχη βιβλίων δύο, ὧν τὸ μὲν ἐπιγράφεται Διαταγαὶ τῶν ἀποστόλων, μετὰ Κλήμεντος. ἐν ᾧ καὶ οἱ τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν ἀποστόλων κανόνες ἐπιγραφόμενοι περιέχονται. *Lecta ſunt duo volumina librorum Clementis Romani: quorum vnum inſcribitur Conſtitutiones Apoſtolicæ: quo continentur etiam inſcripti Apoſtolorum Canones, ex aceruo Synodicorum Canonum.* Et credunt Papiſtæ tamen eſſe Apoſtolicos. Sic ſimiles labra lactucas. De Dionyſio actum alias.

XVI. Et tamen Ignatium, Irenæumque non concedimus legitime citari. Nam quis docebit apud illum τὸν ἀρχιερέα eſſe Epiſcopum? Et non potius ipſum Chriſtum, cui vere τὰ ἅγια τῶν ἁγίων credita ſunt, & τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ? Nam Epiſcopo ſoli credita, quænam ſunt hoc nomine digna? Apud Chriſtianos quidem nullus locus; nulla etiam myſteria non communia Epiſcopo & Presbytero. Quin ille alioquin inter Epiſcopũ & Presbyterum non diſtinguit, niſi vt inter Præſidem & Conſiliarios. Ad Trallianos: τί δὲ πρεσβυτέριον, ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου; *Quid eſt Presbyterium: niſi ſanctum Concilium, conſiliarij, aſſeſſoreſque Epiſcopi?* Irenæus, quid ait? Epiſcopis commiſſas eſſe Eccleſias? Eſto. Sed & Presbyteris. Epiſtola ad Victorem Papam, apud Euſebium Hiſtoriæ lib. 5. c. 24. οἱ πρὸ σωτῆρος πρεσβύτεροι, οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας, ἧς νῦν ἀφηγῇ, Ἀνίκητον λέγομεν, καὶ Πίον, Ὑγῖνόν τε καὶ Τελέσφορον, καὶ Ξύστον. *Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiæ cui tu iam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum & Sixtum.* Ergo ipſi Epiſcopi Romani, hodie Papæ, hodie Oecumenici, hodie ſoli Summi Pontifices, Irenæo erant Presbyteri: & Eccleſiæ præerant. Idem lib. 4. c. 43. *Eis qui in Eccleſia ſunt Presbyteris obedire oportet: his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt.* Presbyteri ergo, autore Irenæo, habent ſucceſſionem Epiſcopatus: id eſt, ſunt Epiſcopi. Libro 3. c. 2 traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis ait, *per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtodiri.* Denique auſim aſſerere nunquam ab Epiſcopis diſtingui, nedum ſeparari Presbyteros apud Irenæum.

## CAP. VII.

### *De Politia Prouinciarum.*

I. ATque hactenus de ſingularum Eccleſiarum regimine. Supereſt, vt de cõfertis agamus: id eſt, oſtendamus Ariſtocraticam fuiſſe etiam adminiſtrationem earum rerum, quæ non ad vnam, ſed ad plures Eccleſias pertinerent: idq; multis poſt Apoſtolos ſeculis. Conſiderantur hic autẽ Eccleſiæ, vel vnius Prouinciæ, vel totius orbis. De illis prius, tũ de his.

II. In ſingulis prouinciis conſtitutos fuiſſe ſingulos Patriarchas, antiquum eſt: ſed non antiquiſſimum tamen. Nam id nomen ne quidem inuenitur in primo & ſecundo ſeculo, Ignatio, Irenæo, Iuſtino, Tertulliano, Cypriano, aliis: niſi forte Decretales Epiſtolas excipias, & ſimiles nugas impudenter ſuppoſitas. Vix etiam in tertio ſeculo: Nam ſi Euſebium, Lactantium, Optatum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, reliquos legas, tam inuenias Archiepiſcopos, aut Patriarchas, quam in ſyluis delphinem. Atque adeo ij ipſi, qui deinceps iis titulis honeſtati ſunt, nunquam alio nomine comperias appellatos, quam Epiſcoporum: Romanum dico, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum, reliquos. Itaq; ridicule in Decretalibus Epiſtolis legas, *Xyſtus Romanæ vrbis Archiepiſcopus*, quem tamen Irenæus presbyterum nominat. *Soter Apoſtolicæ ſedis Archiepiſcopus: Victor Romanæ Eccleſiæ & vrbis Archiepiſcopus.*

III. Quapropter diſponendis dirigendiſque publicis negotiis deſtinata erant Concilia prouincialia, id eſt, cœtus Epiſcoporum intra eandem prouinciam, quæ quidem cogebantur, quoties opus erat, aut commodum. Inde Canon Apoſtolicus 37. Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλους τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας, καὶ τὰς ἐμπιπτούσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν. *Bis quotannis Concilium cogitor Epiſcoporum: tum ij inter ſe, diiudicanto pietatis placita, atque Eccleſiaſticas lites componunto.* Cui canoni conſonat Nicenus quintus, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο. *Conſentaneum viſum eſt ſingulis annis per prouincias ſingulas bis cogi ſynodos: vt communi conſilio omnium Epiſcoporum eiuſdem prouinciæ in vnum conuenientium, quæſtiones examinentur.* Nec aliter *Antiochenus* vigeſimus.

IV. Factum eſt tamen ordinis gratia; vt in ſingulis illis prouinciis vnus aliquis primus eſſet omnium, ſic Apoſtolicus Canon 34. τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον. *Epiſcopos cuiuſque prouinciæ, noſſe oportet eum, qui inter eos primus eſt.* Et quidem iſto canone non definitur is primus: vnde videri poſſit, liberæ electionis fuiſſe. Poſtea tamen deſignabatur nominatim Epiſcopus metropoleos. Antiochenus Canon 9. Τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, *Epiſcopos in ſingulis prouinciis noſſe oportet eum Epiſcopum, qui Metropoli præſidet.* Hinc iam ergo frequens Metropolitanorum mentio: qui poſtea Archiepiſcopi appellati; παρὰ τὸ ἄρχειν τοῖς ἐπισκόποις. Rabanus Maurus de Inſtitutione Clericorum libro 1. c. 5. *Ordo Epiſcoporum tripartitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, qui & Metropolitani ſunt, & in Epiſcopis.* Et poſt Ἀρχιεπίσκοπος *Græco vocabulo dicitur, quod ſit ſummus vel princeps Epiſcoporum: tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet Epiſcopis cæteris. Singulis enim prouinciis præeminet, quorum autoritati & doctrinæ cæteri ſacerdotes ſubiecti ſunt: ſine quibus reliquis Epiſcopis nihil agere licet, niſi quod ſingulis in propria parochia commendatum eſt.* Etſi poſtea nonnullis viſum, Archiepiſcopo ſuum ſupra Metropolitanos ordinem aſſignan-

dum, infra Patriarchas. Sic enim Iſidorus Originum 7. cap. 12. *Archiepiſcopus Græce dicitur ſummus Epiſcoporum: tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quam Epiſcopis cæteris.* Quod falſum, etiam ex praxi Papiſtica.

V. Huius porro ſiue Metropolitani, ſiue *Archiepiſcopi*, ſiue Primi Epiſcopi, partes erant, vt prouideret toti ſuæ Prouinciæ; dirigeretque negotia communia, etiam Epiſcoporum ordinationes: quarum rerum nemo Epiſcopus propria autoritate, quicquam auderet attingere. Sic Apoſtolicus canon trigeſimus quartus, non tantum agnoſcendum eſſe primum à reliquis: ſed etiam ſtatuit καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν, ὡς κεφαλὴν καὶ μηδέν τι πράττειν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης: *cenſeri tanquã caput: nihilque ab eis fieri præter eius ſententiã.* Et deductior Antiochenus 9. τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ. *Metropolitanus curam ſuſcipito totius prouinciæ, propterea quod ad Metropolin omnes vndique concurrant, quibus aliquid eſt negotij. Vnde viſum etiam honore cæteris præire debere: neque reliquos Epiſcopos quicquam agere maioris momenti ſeorſim ab eo.*

VI. Sed ea tamen autoritas duabus legibus maxime coercebatur. Prima, vt ne propterea ſingulis Epiſcopis ſua in ſuis Eccleſiis autoritas minueretur. idem canon Antiochenus, poſtquam prohibuit Epiſcopos quicquam agere inſcio metropolita, exceptionem ſubiicit, ἢ ταῦτα μόνα, ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· *præterquam ea tantum, quæ ad vnius cuiuſque parœciam ſpectant, vicoſque ei ſubditos.* ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε, κατὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν, καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. *Vnuſquiſque enim Epiſcopus arbitrium in ſuam parœciam obtineto, eamque adminiſtrato pro ſua pietate, prouidetoque vniuerſæ regioni, quæ ſuæ vrbi ſubiacet.*

VII. Altera lex erat, ne quicquam earum rerum ageret, quæ ad eius curam pertinebant, proprio ſuo priuatoque motu, ſed tantum communicato cum Epiſcopis reliquis conſilio. Diſerta verba *Apoſtolici* canonis: ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. *Sed ne ille quidem primus, abſque omnium ſententia quicquam facito.* Quæ eadem legas in Antiocheno. *A* quo iure illud eſt Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, id eſt, Primatis Aphricæ, ad clerum ſuum Epiſtola 18. *Quæ res cum omnium noſtrum conſilium & ſententiam ſpectet, præiudicare ego, & ſoli mihi rem communem vindicare nõ audeo: & ideo inſtetur interim Epiſtolis, quas ad vos proxime feceram, quarum exemplum collegis quoque multis iam miſi, qui reſcripſerunt placere ſibi quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec, pace nobis à Domino reddita, in vnum conuenire, & ſingulorum cauſſas examinare poſſimus.* Et in Concilio Carthaginenſi idem, *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non poſſit quam nec ipſe poteſt alterum iudicare.*

VIII. Ergo primum quidem mera erat *Ariſtocratia*: ne tum quidem ſublata, cum inducti ſunt Metropolitani, qui ipſi Epiſcopi erant, & ſibi ſubiectos Epiſcopos pro collegis habebant: tantum ordinis gratia, magiſtratu quodam fungebantur: vt *Athenis*, quæ Reſp. erat Democratica, ἄρχοντες erant: vt Romæ Conſules: vt hodie apud Venetos, qui *Ariſtocratice* viuunt, Dux: in quibuſdam etiam hodie prouinciis, quæ à Papiſtica tyrannide receſſerunt, ſui ſunt Superintendentes: ſiue Decani: cæterum collegis prorſus æquales.

IX. Et ſunt hæc quidem luce meridiana clariora: niſi quod Cypriani teſtimonium ex epiſtola ad Clerum, Bellarminus ſuis tenebris infuſcare conatur, de Pontifice libro 1. c. 8. Cyprianum enim propterea id non eſſe auſum, quia ſponte ſua ipſe ſe obſtrinxerat, tum cum Epiſcopatum ſuſciperet, nihil ſine Cleri & populi conſilio, & conſenſu eſſe facturum, Epiſtola ſexta.

X. Sed cuius ingenij eſt, alienam cauſſam procul quærere, cum eodem verborum ambitu mentem ſuam tam diſerte teſtatus ſit autor? Rem communem ſibi vendicare ſe non audere. Quaſi diceret, agnoſcere ſe, rem communem, id eſt, quæ plurimos ſpectaret, atque adeo non contineretur intra limites ſuæ παροικίας, cui ex Epiſcopatus iure ἐξουσίαν habebat prouidendi; tractari debere communi plurimorum conſilio, non vnius duntaxat, ne Primatis quidem arbitrio. Atque adeo ſi ſolitarius hic locus eſſet, forte nonnihil poſſet ambiguus videri, ſed leges, id eſt, Eccleſiaſticos Canones nonne audiuimus διαρρήδην enunciantes, non licere Metropolitano, quicquam agere abſque conſenſu ſui cleri, eorum ſaltem quæ latius patent, quam eius parœcia?

XI. Eſſe autem communem illam rem, de qua tum temporis agebatur, nempe de pace lapſis danda ex libris martyrum, ipſe ſic exponit Epiſtola 23. ad Clerum Romanum. *Scripſit* (inquit, & intelligit Lucianum Martyrem) *omnium* (nempe confeſſorum & Martyrum) *nomine, vniuerſis eos pacem dediſſe, & hanc formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle.* Et poſt pauca, *Denique huius ſeditionis origo iam cœpit: nam in prouincia noſtra per aliquot ciuitates in præpoſitos impetus multitudinis factus eſt: & pacem quã ſemel cunctis à martyribus & confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentare coegerunt.* Ergo hoc negotium huiuſmodi erat, vt ad omnes Africanos Epiſcopos pertineret: & hæc Canones nolunt tractari ἄνευ τῆς πάντων γνώμης. Fecit igitur ex officio ſuo Cyprianus, cum eam rem ipſe ſolus definire noluit.

---

## CAP. VIII.

### *De omnium Eccleſiarum politia.*

I. SVpereſt quæſtio maior, & magis ad hoc noſtrum argumentum, de omnium toto orbe Eccleſiarum politia. Has vero qui neget ab Oecumenicis Synodis adminiſtratas, eum oportet inſigniter aut impudentem eſſe, aut totius imperitum antiquitatis. Nã in ipſis primordiis, cũ exorta eſſet quæſtio grauis de Moſaicis ritibus, volentibus nonnullis eos qui ab Ethnicorum idololatria conuertebantur, iis ſubiici; teſtatur Lucas Actor. 15. concilium coactum: *Congregati ſunt*, inquit, *Apoſtoli, & presbyteri, vt diſpicerent de hoc negotio.* Atque huius concilij autoritate fuit ea quæſtio compoſita: quam autoritatem vt maximam ſignificarent, decretum in hæc verba concipitur, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Quod ſi Apoſtolorum nullus ne Petrus quidem præſens auſus eſt ſolus ſententiam pronuntiare, decretumque facere, quis ſanus deinceps audeat?

II. Enimuero, quod hoc Concilium appellemus Oecumenicum, nemo miretur: etſi Iouerius initio Conſtitutionum Eccleſiaſticarũ hoc numero eximat, ob paucitatem eorum qui conuenerunt, quos cenſet fuiſſe tantum quatuor Apoſtolos, cum paucis Hieroſolymitanis. Etſi enim de numero nihil poſſimus diſtincte aſſerere, cũ Lucas tacuerit: & coniecturæ quædam ex epiſtola ad Galatas colligantur, præſentes fuiſſe ſolos Petrũ, Paulum, Ioannem, Iacobum, & Barnabam: tamen ipſe rerum exitus contra militat. Nam primum, autoritas certe decretorum eius eſt œcumenica: longeque maior, quam vllius deinceps habiti concilij: abiit enim in Canonem fidei, & partem ſcripturæ ſanctæ: tum ſtatutum de rebus quæ omnes vndique Eccleſias ſpectarent: denique non de Iudaicis tantum Eccleſiis, ſed etiam de aliis omnibus actum, cum diſtributæ ſunt prouinciæ inter Petrum & Paulum: ſic vt huic quidem Gentium prædicatio & patrocinium (ſic enim Baronius loquitur ad annum quinquageſimum primum, num. 16.) Petro autem, Iacobo, & Ioanni, cura eorum demandaretur, qui ex circunciſione ad fidem venirent. Quæ partes nunquam fuerunt μεγάλης συνόδου.

III. Poſt id temporis non paſſa eſt rerum humanarum conditio, frequentes haberi Synodos: præter nonnullas particulares. Itaque longo poſt tempore, quum ob Arij delirium, & Paſchatis celebrationem diſtraheretur Eccleſiæ rupto cõmuni fœdere: etiamſi tũ Alexandrinus Epiſcopus *Arii* furores conatus eſſet compeſcere: & Romani nonnulli quicquid habebant autoritatis, exſeruiſſent aduerſus Quartadecimanos: tamen componi non potuit negotium, aut pax reddi Eccleſiis. Adeo vt Conſtantinus Imperator Chriſtianus, pius pariter & prudens apud Euſebium de eius vita libro 3. c. 16. negarit, poſſe vnam fidem, ſinceram charitatem, & conſentientem cultum tuto reſtitui, niſi vel omnes Epiſcopi, vel quamplurimi conuenirent. τούτων πρό γε πάντων ἐκεῖνα εἶναι (ſuperfluit hæc poſtrema vox) μοι προσήκειν σκοπὸν, ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πλήθεσι πίστις μία, καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη, ὁμογνώμων τε περὶ τὸν παγκρατῆ Θεὸν εὐσέβεια τηρῆται. *Hũc mihi eſſe ſcopũ putaui oportere, vt per omnes Eccleſiæ Catholicæ cœtus, vna fides, ſincera charitas, conſentiens omnipotentis Dei cultus, conſeruaretur.* ἀλλ' ἐπειδὴ τοῦτ' οὐχ οἷόν τ' ἦν ἀκλινῆ καὶ βεβαίαν τάξιν λαβεῖν, εἰ μὴ εἰς ταυτὸ πάντων ὁμοῦ, ἢ τῶν γοῦν πλειόνων ἐπισκόπων συνελθόντων, ἑκάστου τῶν προσηκόντων τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ διάκρισις γένοιτο. *Sed quia non poterat id certo firmoq; ordine conſtitui, niſi in idem omnibus ſimul, vel ſaltẽ plurimis Epiſcopis conuenientibus, omnium, qui vacant ſanctæ religioni diſquiſitio inſtitueretur:* τούτου ἕνεκεν πλείστων ὅσων συναθροισθέντων, αὐτὸς δὲ καθάπερ εἷς ἐξ ὑμῶν ἐτύγχανον συμπαρών. *eam ob cauſſam quam fieri potuit plurimis coactis, ipſe, vt vnus è vobis adfui.* Ergo ſic, eamque ob cauſſam coacta eſt Oecumenica Synodus Nicena.

IV. Deinceps, & aliæ. Sed cum turbæ eſſent ingentes in Eccleſiam Græcam inuectæ ob negotiũ Conſtantinopolitani Epiſcopi Ioannis, cui eloquentia Chryſoſtomi nomen peperit, indoluit, vt par erat, Innocentius Romanus, & οἰκουμενικὴν σύνοδον συναγεῖραι σπουδάζων, *Oecumenicam Synodum congregare ſatagens*, ſcripſit ad Clerum Conſtantinopolitanum ſui ſtudij rationem; apud Sozomenum lib. 8. c. 26. editionis Græcæ, Ἀλλὰ τί κατὰ τῶν τοιούτων νῦν ἐν τῷ παρόντι ποιήσωμεν; *Quid agemus nunc temporis aduerſum iſta?* ἀναγκαία ἐστὶ διάγνωσις συνοδικὴ, ἣν καὶ πάλαι ἔφημεν συναθροισθῆναι. *Neceſſaria eſt Synodica diſquiſitio, quam pridem cogendam eſſe diximus.* μόνη γάρ ἐστιν ἥ τις δύναται τὰς κινήσεις τῶν τοιούτων καταστεῖλαι καταιγίδων. *Sola enim ea eſt, quæ tempeſtatum iſtarum motus cohibere poſſit.* Similiter Leo obtinere ſua autoritate nunquam potuit, vt τὰ τῆς λῃστρικῆς Synodi *Acta* reſcinderentur, donec Chalcedonenſis Concilij autoritate id effectum eſt.

V. Quibus argumentis non vtiles tantum, ſed etiam neceſſariæ docentur Synodi, adeo vt alio nullo remedio curari queant Eccleſiæ Catholicæ morbi. *Ad* Synodos autem conuocatos fuiſſe, atque admiſſos omnes Epiſcopos, nemo dubitat, ſediſſeque iudices ſuo iure, prout fieri ſolet in *Ariſtocratia*. Certe Conſtantinus eadem epiſtola, qua ſe neceſſario Synodum conuocaſſe teſtatur, ἑκάστῳ τῶν προσηκόντων τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ, tribuit διάκρισιν. Nam ego quidem ea verba, nõ cũ Chriſtophorſono interpretor *de rebus ſingulis ad religionem ſpectantibus*, ſed *de ſingulis qui vacant religioni.*

VI. Hæc nos. Quid contra Bellarminus? De *Apoſtolica* Synodo, capite octauo libri primi de Pontifice. Hanc igitur negat pro Ariſtocratia facere. Si quidem in ea præſes fuerit & caput Petrus: qui in aliena Diœceſi, & Epiſcopo præſente Iacobo, loqui primus non fuiſſet auſus, niſi toti Concilio præfuiſſet. Monarchiæ autem non repugnare, aliquid ſtatui in publico conuentu de communi Principum conſilio & conſenſu.

VII. Sed hæc nihili ſunt. Primo, in Concilio Hieroſolymitano Petrum fuiſſe præſidem falſum eſt: qua de re plura dicenda erunt alias. Secundo, etſi concedatur fuiſſe eius Concilij præſes, & caput, (nam nec capitis quidem nomen hoc ſenſu nouum: Cyrillum enim Synodus Epheſina ſcribens ad Theodoſium & Valentinianum, vocat τὴν κεφαλὴν τῶν συνειλεγμένων ἁγιωτάτων ἐπισκόπων, *caput congregatorum ſanctorum Epiſcoporum*) tamẽ id neq; confirmat Monarchiã, neq; *Ariſtocratiã* infirmat: quia cuilibet Synodo aliquẽ oportet præeſſe: qui dici ſolet ἔξαρχος, & πρόεδρος: quo vtroque nomine Synodus Epheſina Cyrillum inſignit & Memnonem. Sed hoc ipſum fuſius in tertia controuerſia. Et hunc præſidem, quicunque eſſet, ius erat primas partes tenere, etiam præſente eius vrbis, in qua Concilium, Epiſcopo. Sic in eadem Epheſina, Cyrillus perpetuo. Sic in Nicena Euſtathius Antiochenus primus omniũ Imperatorẽ alloquitur.

VIII. Porro Monarchiæ non repugnare conuentus principum, vbi communi conſilio & conſenſu aliquid ſtatuatur, verum: ſi tamen ſtatuta vim ſumunt non à conſenſu eorum qui conuocati ſententiam dixere, ſed ab ipſo conuocante Monarcha: vt in Regno noſtro Gallico, ſi quid ſtatuatur

ſtatuantij, quos ſtatus vocant, id aliter vim legis non obtinet, quam ſi diplomate regio ſancitum, fiat edictum. Aliter ſi fiat, negant viri in politica docti, eſſe Monarchiam. Atqui in Oecumenicis Conciliis, quæ decernuntur, habent ſuum robur ex ipſa Concilij autoritate, id eſt, omnium Epiſcoporum, non vllius vnius. *Viſum eſt*, inquiũt, *Spiritui Sancto, & nobis*, non Petro. τάδε ὥρισαν οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει χάριτι Χριστοῦ συνελθόντες ἐπίσκοποι. *Hæc decreuerunt Epiſcopi qui ex Chriſti gratia Conſtantinopolim conuenerunt.* Clerus Romanus ad Cyprianum. *Nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Non poteſt ergo; ſic celebratis Conciliis, bene conuenire cum Monarchia.

IX. Sed negat vſquam in Scripturis legi collatam ſummam poteſtatem Concilio Sacerdotum. Quæcumque enim autoritas Apoſtolis, cæteriſque diſcipulis, conceſſa eſt a Chriſto, non ſolum omnibus, ſed etiam ſingulis eſſe conceſſam, neque ad eam exercendam fuiſſe opus Concilio: potuiſſe enim ſingulos Apoſtolos, & poſſe etiam nunc ſingulos Epiſcopos, docere, baptizare, ſoluere, ligare, ordinare miniſtros, & cætera.

X. Reſpondeo, primum in Scripturis legi ſummam autoritatem eſſe penes Concilium. Actorum decimo quinto, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: quibus verbis ea ſignificatur ſumma autoritas, qua vſum eſt id Concilium, ad determinandam propoſitam quæſtionem. Nec ſane potuit maior vlla ſignificari, quam cum ita Spiritui Sancto ſeſe Apoſtoli, & Presbyteri coniungunt.

XI. Secundo, eandem autoritatem argumentis neceſſariis confirmari. Nam ſi ſingulis Apoſtolis eadem erat conceſſa poteſtas ſumma, certe multo magis omnibus, cum in vnum conuenirent. Ac proinde is eorum cœtus ſummo iure poterat Eccleſiaſtica negotia diſponere. Si vero Eccleſiæ regimen cœpit *A*riſtocraticum, & eadem perſeuerat Eccleſia, neceſſe eſt non eſſe hodie Monarchicum. Deinde, Epiſcopi ſummi ſunt in ſua quiſque Eccleſia Pontifices; poteſtatem habentes pro ſua pietate paſcendi ſui gregis: ergo omnes omnium Eccleſiarum ſummi ſunt paſtores. Congregati igitur eandem habebunt in omnes Eccleſias poteſtatem, quam ſinguli in ſingulas.

XII. Tertio, ſingulis quidem *A*poſtolis eſſe conceſſam ſummam poteſtatem, ſed tantum in ſubditos: non vero aliis in alios, ex communi notione, par in parem nullum habet imperium. Sic Paulo erat ſumma autoritas in conſtituendis Eccleſiis per vniuerſum orbem terrarum: ſed nulla in Petrum, aut reliquos: vt neque aliorum in eum, qui ſe profitetur οὐδὲν ὑστερηκέναι, nulla re illis inferiorem eſſe. Quoties igitur aliquid occurrebat, quod ad omnes Apoſtolos æque ſpectaret, nullus poterat iis legem ponere: ſed omnes poterant de communi conſenſu. Itaque nihil erit abſurdi, ſi dicamus, non eandem eſſe ſingulis conceſſam poteſtatem, & omnibus. Æque poſt *A*poſtolos, quia omnes Epiſcopi æqualis ſunt honoris & poteſtatis, poſſunt quidem ſinguli ſuis Eccleſiis prouidere: ſed non alij aliis: & omnes poſſunt conſtituere ea quæ communia ſunt, & ad omnes pertinent.

XIII. Quarto diſtinguendos eſſe ab Apoſtolis, Epiſcopos. Quia illis ſingulis commiſſæ erant omnes Eccleſiæ: his vero tantum ſingulis ſingulæ: iuxta Petrum, *Paſcite, qui penes vos eſt, gregem Dei*: vnde Canones dant eis ἐξουσίαν τῆς ἑαυτῶν παροικίας, diſerte præcipientes, vt ne quid in alienis auderent. Itaque non poſſunt ſinguli quod omnes. Vnde ad Cyprianum Clerus Romanus: *Per quam nobis & inuidioſum, & oneroſum videtur, non per multos examinari, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe: & vnum ſententiam dicere, cum tam grande crimen, per multos diffuſum notetur exiſſe: quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.*

XIV. Sic nos probamus *A*riſtocratiam At viciſſim eandem Bellarminus impugnat. Eius primum argumentum hoc eſt; quo & Sanderus vtitur libro 2. c. 5. Si penes optimates eſſet ſummum Eccleſiæ regimen, ſequeretur Eccleſiam fere ſemper carere rectoribus: & vt plurimum, neminem eſſe, cui curæ ſit commune bonum, Optimates enim, cum pares inter ſe ſint, non poſſunt commune bonum, vt par eſt, adminiſtrare: niſi vel congregati ſint, vel aliquem elegerint communi conſenſu magiſtratum, cui omnes obediant, quemadmodum Romani ſuos conſules. *A*t in Eccleſia rariſſime congregantur Optimates ad generale Concilium: Magiſtratum autem nullum vnquam crearunt.

XV. Reſpondeo, vniuerſalis Eccleſiæ nullum eſſe negotium abſtractum ab Eccleſiis particularibus: proinde quandiu ſingulæ recte adminiſtrantur, nullo opus eſſe vniuerſali Magiſtratu: quia ſingulæ ſuos habent Epiſcopos rectores; qui omnes tum cenſentur commune bonum, vt par eſt, adminiſtrare, cum ſuis gregibus recte præſunt. Non poſſe autem Optimates commune bonum, vt par eſt, adminiſtrare, tum demum conceditur, cum idem numero negotium nulli ex eis certo demandatur: quod non fit in Eccleſia, in qua non omnes tantum, ſed potiſſimum ſinguli audiunt, *Paſcite gregem qui in vobis eſt*. Ergo non habet opus Eccleſia vllo vniuerſali magiſtratu.

XVI. Cogi vero Optimates, non ſemper eſt neceſſe, ſed tum duntaxat, cum id certa negotia extraordinaria poſtulant: ſicut in ſeculari Ariſtocratia, Democratiave Nam *A*mphictyones non ſemper congregabantur in Græcia: ſed ſtatis temporibus: Hodie apud Heluetios, non ſemper habentur Diætæ. Tum vero cum ingruit neceſſitas, ſinguli Epiſcopi ius habent inuigilandi bono publico: vnde Cyprianus Epiſtola 67. ad Stephanum Romanum, *Idcirco, frater chariſſime, copioſum corpus eſt Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex collegio noſtro, hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri, & quaſi paſtores vtiles & miſericordes, oues Dominicas in gregem colligant.* Et paulo poſt, *Nam etſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo, & paſſione quæſiuit, colligere, & fouere debemus.* Hoc iure Meletius Ægypti Archiepiſcopus ex Thebaide, primus detexiſſe dicitur Arij hæreſin, & detuliſſe Alexandro Alexandriæ, qui ipſe Synodum coegit ſubiectorum ſibi Epiſcoporum, & *A*rium depoſuit, non expectata vllius Oecumenici autoritate. Cyrillus *A*lexandrinus, Neſtorio Conſtantinopolitano primus ſe viriliter oppoſuit. Atque in eum modum Deus ſuos ſuſcitat, qui Spiritu pleni in commune conſulunt Eccleſiæ. Quapropter fruſtra hic comparantur Epiſcopi magnatibus ſeculi, publica vix curantibus. Nam alia ratio eſt Eccleſiæ, cui Deus ſpecialiter præeſt, ac prouidet.

XVII. Poſtremo: ne tum quidem cum neceſſitas exigit, cogi ſemper poſſe fatemur Concilia: ſed tum exitum Deo dicimus commendandum: idque didicimus ab Epiſcopo Romano Innocentio, qui cum ſe imparem ſentiret componendo negotio Chryſoſtomi, nec ſubito cogi poſſe Concilium, exſpectandum ſuaſit diuinum auxilium: apud Sozomenum libro 8. c. 26. Ἀναγκαία, inquit, ἐστὶ διάγνωσις συνοδική, *neceſſaria eſt Synodalis inquiſitio*: ἧς ἵνα τύχωμεν, χρήσιμον πως ὑπερτίθεσθαι τὴν ἰατρείαν τῇ βουλήσει τοῦ μεγάλου Θεοῦ, καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ Κυρίου ἡμῶν· ὃς πάντα τὰ ὑπὸ τοῦ φθόνου τοῦ διαβόλου πρὸς τὴν τῶν πιστῶν δοκιμασίαν τεταραγμένα παραμυθήσεται. *Quam quidem donec conſequamur, expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei ac Chriſti eius Domini noſtri: qui omnia quæ nunc ad fidelium probationem inuidia Diaboli turbantur, componet.* Hactenus ille.

XVIII. Secundum argumentum: Si eſſet in cœtu optimatum ſumma poteſtas, quo numeroſius cogeretur Concilium, eo plus haberet autoritatis, neque vnquam euenire poſſet, vt minori Concilio plus tribueretur, quam maiori. At hoc falſum: quia Concilium Ariminenſe Epiſcoporum ſexcentorum, nullius vnquam autoritatis habitum eſt in Eccleſia Catholica. Contra primum Conſtantinopolitanum centum quinquaginta Epiſcoporum, ſummæ ſemper fuit autoritatis. Et Papiſtæ quidem cauſſam reddunt, quod illud a ſummo Pontifice reprobatum, hoc vero confirmatum fuerit. At qui ſummam poteſtatem tribuunt optimatibus, nullam poſſunt.

XIX. Reſpondeo; primum, re vera fuiſſe nonnunquam apud Patres maiora Concilia minoribus prælata. Cum enim non bene ceſſiſſet Epheſinum illud λῃστρικὸν, etſi conuocatum ex conſenſu, imo vero ad preces Romani Epiſcopi: imo celebratum præſentibus legatis Leonis: tamen & à Flauiano eſt appellatum ad maius Concilium: & Leo Romanus, ſic ſcribit ad Theodoſium *A*uguſtum Epiſt. 24. *Obſecramus, vt omnia in eodem ſtatu manere iubeatis, in quo fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe ſacerdotum numerus congregetur.* Similiter de Chryſoſtomo depoſito narrat Sozomenus libr. 8. c. 18. plebem concurſu facto ad Eccleſiam clamitaſſe tum alia multa, tum maioris eſſe Synodi cognoſcere: τὸ δὲ πλῆθος, ὡς τάδε ἔγνωσαν Κωνσταντινουπόλει περὶ δειλὴν ὀψίαν πρὸς στάσιν ἐκινήθη, καὶ συνδραμόντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἄλλα τε πολλὰ ἀνέκραγον, καὶ ὡς δέοι μείζονα σύνοδον περὶ αὐτοῦ διαλαβεῖν. Atque adeo tandem iis clamoribus effectum, vt Imperatrix reuocaret Chryſoſtomum, qui tamen exſpectauit maioris Synodi iudiciũ. περὶ κρίσεως μείζονος συνόδου, ἵν᾽ εἴη δῆλον ὡς ἀδίκως ἀφῃρέθη τῆς ἐπισκοπῆς, παρῃτεῖτο τέως τὴν εἰς τὴν πόλιν εἴσοδον. *Negauit ſe ingreſſurum vrbẽ antequam maior Synodus iudicaſſet: vt conſtaret ſe iniuſte deturbatum eſſe Epiſcopatu.* Itaque ſi neceſſaria eſt Bellarmini conſequentia, nihil iam obſtat, quominus Optimatibus Eccleſiæ ſummam autoritatem aſſeramus.

XX. Sed negatur conſequentia. Nam in comparandis inuicem Conciliis, ſiue vniuerſalibus, ſiue particularibus, non ſolet numerus conſiderari: ſed tantum in ſuffragiis colligendis: tum enim ſemper maior numerus præponderat minori: puta ſi in Concilio Niceno trecentorum decem & octo Epiſcoporum, ducenti opponerentur reliquis centum decem & octo; decretum fieret in verba ducentorum. Sed cum diuerſi cœtus comparantur, non ita fit: alioqui nihil eſſet certi, ne in politia quidem temporali. Romæ cogebatur Senatus non ſemper eodem numero: alias enim frequens erat, alias minime. Et tamen nunquam legas vnum Senatum, alteri oppoſitum. Similiter eſſe non debuit maior autoritas Chalcedonenſis, cui interfuerunt ſexcenti triginta Epiſcopi, quam Nicæni, quod fuit dimidia parte minus.

XXI. De *A*riminenſi Concilio reſpondeo, falſo aſſeri ideo non habuiſſe autoritatem, quod ab Epiſcopo Romano fuerit improbatum. Exſtant varia ſcripta tum Athanaſij; tum Hilarij; qui cum alias multas cauſſas colligunt, tum iſtam de Romani Epiſcopi improbatione tacent. Exſtat apud Theodoretum hiſtoriæ libro 2. c. 22. Epiſtola Concilij Romani ad Epiſcopos qui erant in Illyrico: in ea hæc; οὐδὲ γὰρ πρόκριμά τι ἐδυνήθη γενέσθαι ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἐν Ἀριμήνῳ συναχθέντων, ὁπότε συνέστηκε, μήτε τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου, οὗ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι, οὔτε Οὐικεντίου ὃς ἐπὶ τοσούτοις ἔτεσι τὴν ἐπισκοπὴν ἄσπιλον ἐφύλαξεν, οὔτε τῶν ἄλλων τοῖς τοιούτοις συγκατατεθειμένων. *Numerus Epiſcoporum, qui erant Arimini in vnum congregati præiudicij vim habere non debet: quandoquidem formula illa compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis Epiſcopatum integre geſſit, neque aliis eidem conſentientibus.* ὁπότε καὶ μάλιστα καθὰ προειρήκαμεν, αὐτοὶ οὗτοι οἵτινες κατὰ συσκευὴν ὑποκλίνεσθαι ἔδοξαν, οἱ αὐτοὶ καλλίονι γνώμῃ χρησάμενοι, ἀπαρέσκειν αὐτοῖς ταῦτα ἐμαρτύρησαν. *Cumque etiam (quod eſt omnium maximum) illi ipſi (vt ante diximus) qui in fraudem inducti viſi ſunt fuiſſe inflexi, ij inquam, ipſi meliori conſilio vſi, ſibi ea diſplicere teſtati ſunt.* Hæc illi: qui etſi Romani diſſenſum notant, tamen non ſolum: & quanquam illius præcipue ſententiam exſpectandam fuiſſe notent: tamen eorum Epiſcoporum, qui prius ad ſubſcribendum inducti fuerant, pœnitentiam pro argumento longe maximo obſeruari velint In ſumma triplicem cauſſam reddunt: quod non conſenſerit Romanus: quod Vincentius diſſenſerit: quod Epiſcopos ſubſcriptionis pœnituerit.

XXII. Sed eſt & alia longe præcipua: Quod non fuerit legitimum Cõcilium. Primo, quia non Oecumenicum: ſed tantũ ex Epiſcopis Occidentalibus: nam Orientales Seleuciam Iſauriæ conuenire iuſſi erant Id notat Athanaſius libello de Synodis. πρῶτον μὲν οὖν ἔγωγε θαυμάζω· ἡγοῦμαι δὲ καὶ πάντα ὀντιναοῦν φρόνιμον τοῦτο συνορᾷν· ὅτι καθολικῆς ὁρισθείσης συνόδου, καὶ πάντων πάντως προσδοκώντων ἐξαίφνης διῃρέθη. *Primũ, Ego quidẽ demiror (idẽq; arbitror quẽlibet prudentem mecum animaduertere:) quod cum vniuerſale Concilium indictũ eſſet, idque omnes exſpectarent, derepente diuiſi. facta ſit.* Rurſus non fuit liberum: quod prolixe teſtatum reliquit Seuerus Sulpitius hiſtoriæ ſacræ libro 2. Nam non tantum legati à Concilio ad Imperatorem miſſi, coacti ſunt vniri hæreticorum communioni: ſed etiam paulatim plerique Orthodoxorum Epiſcoporum, partim imbecillitate ingenij, partim

tædio peregrinationis euicti, dedere ſe aduerſariis, iam poſt reditum legatorum ſuperioribus, & Eccleſiam, Orthodoxis inde detruſis, obtinentibus: factaque inclinatione animorum cateruatim in partem alteram conceſſum, donec ad viginti vſque, Orthodoxorum numerus imminutus eſſet: qui tamen etiam ipſi poſtea, aut minis fracti, aut blanditiis illecti, defecere. Et negabat Bellarminus aliam vllam cauſſam poſſe proferri præter Oecumenici authoritatem?

XXIII. Sed reſtat maxima: ex Hieronymo in Epiſtolam ad Galatas. *Spiritus Sancti doctrina eſt, quæ Canonicis libris prodita eſt, contra quam, ſi quid ſtatuant Concilia, nefas duco.* At Concilium Ariminenſe eam doctrinam labefactauit: Ergo nefarium fuit. Hæc vere ſumma, certiſſimaque cauſa fuit exautorandæ Synodi Ariminenſis. Athanaſius *τίς ἀποδέξεται τοὺς τὴν ἀρίμινον ἢ ἄλλην σύνοδον παρὰ τὴν ἐν Νικαίᾳ ὀνομάζοντας; ἢ τίς οὐκ ἂν μισήσῃ τοὺς ἀθετοῦντας μὲν τὰ τῶν πατέρων, τὰ δὲ καινὰ ἐν τῇ ἀριμίνῳ κατὰ φιλονεικίαν καὶ βίαν συντεθέντα προκρίνοντας; Quis illos admittet, qui Ariminenſem Synodum nominant, aut aliam vllam præter Nicænam? Aut quis non oderit eos, qui Patrum quidem dogmata abrogant, & ea quæ Arimini per contentionem, & per vim conſtituta ſunt, iis præferunt?* Apud Theodoretum hiſtoriæ lib. 2. cap. 23.

XXIV. Breuiter reiiciendas eſſe Synodos dico, quæ errarunt, quia errarunt. Leo contra Epheſinam λῃστρικὴν hoc non vnum quidem, ſed in primis vrget argumentum. Epiſtola 26. ad Pulcheriam. *Quæ enim, congregata apud Epheſum, Synodo, ſopienda & ſananda pacis remedio credebantur. Hæc non ſolum in maiora pacis diſpendia: ſed (quod nimis dolendum eſt) etiam in ipſius fidei, qua Chriſtiani ſumus, excidia praceſſerunt.* Et 28 ad Archimandritas *Specialibus dilectionem veſtram literis cohortandam eſſe credidimus, vt memores ſanctæ profeſſionis veſtræ, quæ proprie in fide & charitate conſiſtit, omnia ſcandala, quæ contra pacem Eccleſiæ orta ſunt, à veſtris cordibus repellatis, beati Apoſtoli ſententiam pia mente retinentes: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et 29. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem. *Quia ergo prorupit in apertum perfidia, quæ latebat, & in nephandiſſimam hæreſin vnius imperitiſſimi ſenis aſſeclæ tranſierunt, tempus probationis noſtræ debemus agnoſcere, & contra impetus aduerſantium, munitionibus cæleſtibus freti, incommutabilis animi conſtantiam præparare.* Poſſum alia colligere: quæ diligens lector obſeruabit.

XXV. At hoc (inquit Bellarminus) quid eſt aliud quam Conciliorum & totius Eccleſiæ iudicem facere? Quid ergo, inquam, Hieronymus? Is ne ſe Conciliorum ac totius Eccleſiæ iudicem conſtituebat, cum rotunde pronunciaret nefas ducere, quicquid Concilia pronunciarent contra Spiritus Sancti doctrinam? Quid Athanaſius? cum tam ſeuere Ariminenſium placita exigeret ad fidem? Nam de Leone taceo, ne mihi Ieſuitæ Oecumenici perſonam obiiciant.

XXVI. Tertium argumentum: Tametſi Democratia ſit abſolute peſſimum regimen: tamen Eccleſiæ pernicioſior eſſe videtur Ariſtocratia: ſi quidem ſummum Eccleſiæ malum hæreſes: & hæ ab optimatibus potius, quam à plebeiis. Itaque ſunt quædam quaſi factiones: & hæ nunquam facilius oriuntur, quam cum optimates regunt.

XXVII. Reſpondeo. Primum; etiam aliunde quam ab optimatibus Eccleſiæ, hæreſes oriri. Mitto Nicolaum Diaconum: Apollinarem lectorem teſte Socrate, libro 2 capite 16. Marcionem, & Arium duntaxat presbyteros. Certe Ebionem, Cerinthum, Valentinum, Apellem, nullæ, quod ſciam, hiſtoriæ teſtantur in vllo fuiſſe gradu functionis Eccleſiaſticæ. Simon magus, nunquam niſi laicus. Theodorum fuiſſe coriarium teſtatur Epiphanius. Vt iam ſcire poſſit Bellarminus, non ſolorum optimatum, id eſt Epiſcoporum, hæreſes eſſe factiones.

XXVIII. Secundo. Ne Monarchia quidem obſtare poteſt, quominus hæreſes inducantur in Eccleſiam: quomodo ne in Repub. quidem, quominus magnatum factiones oriantur, indeque bella ciuilia. Alioquin exponant mihi aduerſarij qui certo certius habent Eccleſiæ regimen tum ab initio inſtitutum, tum deinceps conſeruatum monarchicum, vnde tot hæreſes ſingulis ſeculis profluxerint, ſi is morbus Ariſtocratiæ adhæret.

XXIX. Tertio. Etſi Ariſtocratia Eccleſiæ, non poſſit viam præcludere hæreſibus, quominus eueniant: habet tamen remedia quæ eis opponat, cum ſemel ortæ ſunt: & quidem plura, & expeditiora quam Monarchia: teſte Cypriano paulo ante citato: qui idcirco aſſerit copioſum eſſe corpus Sacerdotum, vt cum vnus tentarit Eccleſiam lacerare, vel hæreſin facere, cæteri ſubueniant. Quod non æque fieret in Monarchia. Nam ſi ipſe Monarcha tentaret hæreſin facere, non facile vllus obſiſteret. Marium Sylla compeſcuit: Catilinam Cicero fregit. At Tiberio, Neroni, Caligulæ, qui ſinguli rerum potiebantur ſoli, non erat qui obſiſteret.

XXX. Quarto. Non hæreſes tantum timendæ ſunt in Eccleſia: ſed etiam ſchiſmata. At hæc oriri ex Monarchia, maxime electiua nimium ſæpe docuit experientia: & exempla quilibet innumera facile recogitabit, qui vel à limine hiſtoriam ſalutarit Eccleſiaſticam. Ea autem quoties euenerunt, & maxime, à quo tempore inualuit Epiſcoporum Romanorum tyrannis; ſedari non potuerunt, niſi ope & autoritate Concilij, id eſt Ariſtocratiæ. Vnde conſtat eo vtiliorem eſſe Ariſtocratiam Monarchia: quod non ſuis tantum incommodis mederi, ſed ijs etiam quę à Monarchia fluunt, ſola poſſit adhibere remedium. Monarchiam vero eo inutiliorem Ariſtocratia, quod & poſſit abſq; ea factiones primatum ſopire: & non poſſit ipſa, ſchiſmata, quibus à ſe originem eſſe nouit, extinguere.

XXXI. Denique, quid ſi negem ſummum Eccleſiæ malum eſſe hæreſes? Nam certe Antichriſtianiſmus longe maius. Quemadmodum Democratiæ Tyrannis longe noxior eſt, quam factiones optimatum. Itaque Scriptura, etſi nobis hæreſes deteſtandas propinet, tamen Antichriſtum non fruſtra deſcribit, quaſi omnis ſceleris epitomen: & Eccleſiam non in turbas tantum dantem, ſed propemodum in internecionem. Eſt autem Antichriſtus tyrannus. In tyrannidem vero, quis neſcit procliuiorem eſſe Monarchiam, quam Ariſtocratiam? Et ſane Gregorius vniuerſalem Epiſcopum dixit eſſe præcurſorem Antichriſti. Non deſunt etiam è Papiſtis, qui docuerunt Antichriſtum illum vnicum, quem expectant futurum Papam Romanum: qua de re alias.

XXXII. Quartum argumentum eſt, Sanderi libro 4. c. 5. negantis Ariſtocraticum eſſe regimen Eccleſiæ, eo quod nondum ſatis perſpicue definitum ſit, quinam ſint Eccleſiæ optimates. Nam ſi ſunt aliqui optimates, ij ſunt aut Patriarchæ, aut omnes omnino Epiſcopi. At non Patriarchæ: quia non ſoli iudicabant in Synodis. Non etiam omnes Epiſcopi, quia iis Patriarchæ præſunt. Ergo nulli ſunt optimates: & ſi nulli Optimates, nulla Ariſtocratia.

XXXIII. Reſpondeo: Optimates vix certos eſſe poſſe, apud eos qui militant ambitioni: à qua tot ordinum origo, Primatum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, Epiſcoporum, Abbatum generalium: Sed apud eos, quibus cordi eſt priſca ſinceritas, nihil facilius: Quidni enim illi ſuos agnoſcant τοὺς ἡγουμένους. Ad Hebræos 13. προεστῶτας, prioris ad Timotheum 5 denique πρεσβυτέρους; & ἐπισκόπους; Nam quandoquidem agitur de regimine Eccleſiæ: & certum ſit in Ariſtocratia, non niſi ad Optimates regiminis autoritatem pertinere: proculdubio ij erunt optimates, ad quos regimen ſpectabit. Itaque Actorum 15. *συνήχθησαν οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, ἰδεῖν περὶ τοῦ λόγου τούτου. Congregati ſunt Apoſtoli, & Presbyteri vt diſpicerent de hoc negotio.*

XXXIV. Enimuero cur Patriarchas obiicit & Epiſcopos? Nam primo ea diſtinctio non eſt antiquiſſima: & prius Epiſcoporum ſummus gradus erat: id eſt, ab initio presbyterorum. Et tamen argumenta fruſtra ſunt. Non erant, inquit, Patriarchæ optimates. Cur? quia non ſoli iudicabant: Itane? Atqui Ariſtoteles concludendum diceret, non eſſe ſolos Optimates. Sed omnino atque ἁπλῶς non eſſe negaret confici. Sed Papiſtis fortaſſe alia eſt Dialectica, alius ſenſus communis.

XXXV. Rurſus Epiſcopis Patriarchæ præſunt: ergo Epiſcopi, non ſunt Optimates, Quaſi quis diceret, apud Venetos Dux præeſt Nobilibus: ergo nobiles non ſunt Optimates. Atqui inquirendum erat prius, quo modo præſint, ſuo ne iure, an tanquam Magiſtratus. Nam ſi tanquam Magiſtratus, neque paucorum præfectura Democratiam, neque vnius autoritate Ariſtocratiam extingui norunt omnes. Res porro ſic ſe habet: Patriarchæ, ſiue Primates, ſiue Archiepiſcopi, erant ipſi Epiſcopi, ſed quorum in reliquos inſpectio erat. Itaq; vtriq; tum Patriarchæ, tum Epiſcopi, in Eccleſia Optimatum locum tenebant.

---

## CAP. IX.

### *An Epiſcopi ſint ſummi Pontifices.*

I. SI vnus eſſet Oecumenicus Pontifex, & Eccleſiæ Monarcha, ergo ſinguli Epiſcopi non eſſent ſummi Pontifices. At ſinguli Epiſcopi ſunt ſummi Pontifices. Ergo nullus eſt Oecumenicus Pontifex, ſiue Monarcha Eccleſiæ. Patet conſequentia, quia eo quod eſt ſummum nihil eſt ſuperius. Quare ſi Oecumenicus ille eſſet ſupra ſingulos, ipſi non eſſent ſummi. Et confirmatur ab euentu. Nam ex quo Epiſcopus Romanus geſſit ſe pro Monarcha, non tantum appellatus eſt Epiſcopus Epiſcoporum, ſed etiam ſolus Pontificis ſummi nomine gaudet. Atque adeo non Coſterus tantum, ſed etiam Bellarminus huic controuerſiæ titulum alium nullum fecit, quam *de ſummo Pontifice.* Contarenus etiam ſimpliciter, *de Pontifice*: & in diſputando nunquam aliter appellat quam maximum Pontificem. Sic apud Iudęos, etſi plurimi erant Pontifices; tamen is qui erat ſupra reliquos omnes, & ſupra quem nemo Pontifex erat, ſolus appellabatur Summus.

II. Aſſumptio igitur probatur; Primo, quia is olim mos fuit; & durauit in multa tempora, vt Epiſcopi cuiuslibet Eccleſiæ, vulgo audirent ſummi Pontifices, ſummi Antiſtites, ſumi Sacerdotes, maximi Pontifices & Antiſtites. Locos non omnes congeram, ſed ſeligā aliquot. Anacletus (nam quid tum ſi ſuppoſititius?) epiſtola 2. *Vnde liquet, quod ſummi Sacerdotes, id eſt Epiſcopi, à Deo ſunt iudicandi.* Et mox, *Quo loco contemplari licet, Aaron ſummum Sacerdotem, id eſt Epiſcopum fuiſſe.* Tertullianus de Baptiſmo c. 17. *Dandi quidem baptiſmi habet ius ſummus Sacerdos qui eſt Epiſcopus.* Hieronymus contra Luciferianos, *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet:* quo loco ipſe Marianus Victorius Epiſcopum interpretatur. Ambroſius tertij de Sacramentis c. 1. *Succinctus eſt Sacerdos. Licet enim & Presbyteri fecerint, tamen exordium miniſterij à ſummo eſt Sacerdote: ſuccinctus, inquam, Summus Sacerdos pedes tibi lauit.* Idem epiſtola quinta, *Annuntiaſti diem aſſore, quo ſuſcepiſti gubernacula ſummi ſacerdotij.* epiſtola 34. dicit Valentinianum ſanctos & ſummos Sacerdotes Domini intra Gallias habuiſſe. Gaudentius tractatu in prima die ſuæ ordinationis, *Merito ſilendi licentiam à ſummis Sacerdotibus poſtulabam.* Euſebius Emiſſenus (quiſquis tandem ſit, ſiue Cæſarius, ſiue Eucherius) in homiliis Maximum Epiſcopum vocat *ſummum Antiſtitem & confeſſorem.* Paulinus epiſtola ad Romanianum, quæ eſt inter Auguſtini Epiſtolas 36. *Tunc vero ſibi ſummus Chriſti Pontifex Auguſtinus videbitur.* Eucherius ad Salonium. *Cum te illic beatiſſimi Hilarij, tunc inſulani tyronis, ſed iam nunc ſummi Pontificis doctrina formaret.* Zozimus ipſe Romanus eodem ſenſu, ex epiſtola ad Iſichium, apud Gratianum diſt. 36. *Qui Eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, & temporum approbatione diuinis ſtipendiis eruditus, nequaquam ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium aſpirare præſumat.* Et hoc ipſe Gratianus de Epiſcopis interpretatur: Leo ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem epiſtol. 84 c. 5. *Cum ergo de ſummi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus poſtularit.*

III. Et ne ab initio tantum is vſus fuiſſe videatur. Hæc ſunt recentiora teſtimonia. Sidonius Apollinaris vix vnquam aliter. Epiſtola 11. libri 4. de Mamerco & Claudiano fratribus. *Nam de Pontificis tenore ſummi, ille inſignia ſumpſit, hic laborem,* Epiſtola 25. eiuſdem libri. *Cum veniſſet in oppidum ſupra ſcriptum* (id erat Cabillonum) *Prouincialium Sacerdotum præuentus partim, partim comitante collegio, ſcilicet vt municipio ſummus aliquis antiſtes ordinaretur.* Libri 7. epiſtola 5. *Bituricas decreto ciuium petitus adueni: cauſſa fuit euocationis, titubans Eccleſiæ ſtatus, quæ nuper ſummo viduata Pontifice, vtriuſque profeſſionis ordinibus ambiendi Sacerdotij quoddam claſſicum cecinit*

*cecinit.* Et in concione, *Simplicius eſt quem prouincia noſtra Metropolitanum ciuitati veſtræ ſummum Sacerdotem, fieri debere pronuncio.* epiſt. 6. *Burdegala, Petrogorij, Rutheni, Lemouicos, Gabalitani, Heluani, Vaſates Conuenæ, Auſtenſes, multoque iam maior numerus ciuitatum, (ſummis ſacerdotibus ipſarum morte truncatis, nec vllis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos vtique minorum ordinum miniſteria ſubrogantur) latum ſpiritualis ruinæ limitem traxit.* Libri 8. Epiſtola 15. An anum vocat maximum conſummatiſſimumque Pontificem, eundemque Antiſtitem ſummum. Baſilius Ancyranus in 2. Concilio Niceno act. 2. *Ego Baſilius Epiſcopus Ancyranæ ciuitatis, Catholicam Eccleſiam coniunctam, & conſentientem eſſe cupiens, Adriano ſanctiſſimo Papæ veteris Romæ; Tharaſio beatiſſimo Patriarchæ, ſanctiſque Apoſtolicis thronis, Antiochiæ, inquam, & Alexandriæ, & ſanctæ vrbis, nec minus ſummis ſacerdotibus & presbyteris cunctis orthodoxis hanc, quam deſcripſi meam confeſſionem exhibere volo.* Hildebertus Cenomanenſis epiſt. 13. ad electum Epiſcopū Andegauenſem; *In ſummis enim Sacerdotibus ætas integra poſtulatur.* Et longo poſt tempore. Vuitikindus geſtorum Saxonicorum libro 1. *Summus Pontifex mittitur ad ſedandam tam ingentem diſcordiam.* Is autem erat Hatto Mogonciacæ ſedis Epiſcopus. Et non multo poſt, *Cumque ei offerretur vnctio cum diademate à ſummo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſpreuit, nec tamen ſuſcepit.* Et ſic alias ſæpe. Theganus de geſtis Ludouici Imperatoris, *Iamdudum illa peſſima conſuetudo erat, vt ex viliſſimis ſeruis ſummi Pontifices fierent.*

IV. Sic Epiſcopi. Sed & ipſe Epiſcopatus, ſummum Sacerdotium. Ambroſius Epiſtola 5. ad Felicem Comenſem Epiſcopum, *Celebrem vtriq; noſtrum annunciaſti diem affore, quo ſuſcepiſti gubernacula ſummi Sacerdotij.* Cyrillus homilia 6 contra Neſtorium, *Etiam à Catalogo te fratrum ſeparaſti, non conſiderata, quæ data tibi fuerat, ſummi ſacerdotij ſorte.* Concilium Agathenſe, capite quinto, Epiſcopos vocat, *Pontifices in ſummo ſacerdotio conſtitutos.* Quo ſenſu etiã Cyprianus Epiſcopatum appellat *ſacerdotij ſublime faſtigium,* & *Eccleſiæ gubernandæ ſublimem & diuinam poteſtatem.* Epiſtolis 52. & 55. Gaudentius tractatu in die ordinationis ſuæ, *Suſcepi hoc ſummi ſacerdotij munus.* Leo Epiſtola 88. ad Rauennium, *Prouectionem dilectionis tuæ, quæ ſummi ſacerdotij adepta eſt dignitatem, nobis placere cognoſce.*

V. Et quidem id tituli quid ſignificet, hi loci docent, Optatus Mileuitanus libro 1. Apices, & Principes omnium Epiſcopos vocat. Ignatius ad Trallianos. Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν, *Quid eſt Epiſcopus, niſi is qui prætergreſſus eſt omne imperium & poteſtatem, quique omnibus imperat, quantum quidem homo imperare poteſt?* Locus illuſtriſſimus: quemq; ue nullo colore infuſcare queant Papiſtæ. Nam certe, ſi non tantum Patriarcha, ſed etiam Papa eſt Epiſcopo ſuperior, tum neceſſe eſt Epiſcopum non eſſe πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, aut certe Patriarchatum, & Papatum neceſſe eſt negare eſſe ἀρχὴν & ἐξουσίαν: quod non auſit niſi ipſiſſima impudentia. Et rurſus, ſi Papæ dominium aliud eſt, & ſublimius autoritate Epiſcopali, tum ſane Epiſcopus οὐ κρατεῖ πάντων, non enim κρατεῖ τοῦ πάπα: nec κρατεῖ ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν: niſi forte negent Sophiſtæ Papam eſſe hominem. Leo Epiſtola 87. ad Africanos: *Quanto magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.* En tibi ſupra omnes gradus. Quis ergo relinquitur ſuperior?

## CAP. X.

### *De creatione Epiſcoporum.*

I. SI Eccleſiæ totius vnus eſſet Monarcha: ergo ſinguli Epiſcopi crearentur ab vnico illo. *At* falſū poſterius: ergo & prius. Conſequentia patet, quia in Republica qualibet omnes magiſtratus creari ſolēt ab eo penes quem eſt maieſtas: ſic in Democratia Athenienſi, & Romana, Dictatores, Cenſores, Conſules, Prætores, Tribuni, à Populo: ſic in Ariſtocratia Lacedæmoniorum, ab Ephoris, Venetorum a Nobilibus. Sic in Monarchiis à Rege: vt in Gallia, in Hiſpania, in Britannia. *Atque adeo* inde hodierna praxi Epiſcopi Romani, qui in toto Occidente neminem patitur eſſe Epiſcopum, niſi ex ſuis diplomatis, quæ ſunt neceſſario obtinenda, antequam vllus conſecretur. Imo *Alcuinus* ſui temporis conſuetudinem ſic deſcribit in libro de Diuinis officiis, *Cum Epiſcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur aliquis è clero ſeu populo: fitque decretum ab illis: & veniunt ad Apoſtolicum* (id eſt, Romanum Epiſcopum) *cum ſuo electo deferentes ſecum ſuggeſtionem, hoc eſt, rogatorias literas, vt eis conſecret Epiſcopum.* Et Pontificale Romanum, titulo de Conſecratione electi in Epiſcopum. *Eccleſiarum Cathedralium, ſiue Metropolitanarum, ac Patriarchalium prouiſiones, ſeu electionum ad illas confirmationes, ad ſedem Apoſtolicam hodie pleno iure pertinent: & ab eadem Eccleſiis Paſtore viduatis, vel de nouo prouidetur, vel electiones ab illis, quibus ex priuilegio licet, canonice celebratæ confirmantur.* Et in Concordatis Leonis decimi cum Franciſco Rege Galliæ, conſtituitur, ne vacantibus Eccleſiis Capitula, & Canonici ad electionem, ſeu poſtulationem futuri prælati procedere poſſint: quæ rudera erãt priſcę Eccleſiarum libertatis: ſed vt *Rex Franciæ pro tempore exiſtens, vnum grauem magiſtrum intra ſex menſes à die vacationis Eccleſiarum earundem computandos, nobis* (inquit Leo) *& ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus nominare poſſit.* Sic ad ſe reuocauit omnem hanc autoritatem Romanus Pontifex: vt ſeſe vere Monarcham conſtitueret.

II. *At* olim longe aliter. Nam plebs ſibi latis ſuffragiis Epiſcopum deligebat, quem vellet. Eum autem Epiſcopi vicini, tres minimum, conſecrabant. Sic apud Cyprianum videas, tum eius, tum Cornelij Romani deſcriptam electionem legitimam. Epiſt. 52. *Factus eſt* (Cornelius) *Epiſcopus à plurimis Collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres, de eius ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus, de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Hæc de Cornelij Epiſcopi Romani electione. Et vt ſciamus eodem ordine, eadem ſolennitate creari ſolitum Carthaginenſem, audiamus ipſius Cypriani electionem. Primum epiſtola 55. dicit ſe *in locum defuncti ſubſtitutum, populi vniuerſi ſuffragio delectū, collegis omnib. fideliter iunctū.* Et generalius Epiſt. 68. *Propter quod diligenter de traditione Diuina, & Apoſtolica obſeruatione, obſeruandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quiq; conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime nouit, & vnius cuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, iudicio, Epiſcopatus ei deferretur: & manus ei in locum Baſilidis imponeretur.* Optatus lib. 1. *Suffragio totius populi Cyprianus eligitur.* Ad hunc modum Mediolanenſes, ſeditione compreſſa, vno ore omnes poſtulaſſe teſtatur Theodoretus hiſtoriæ li. 4. c. 6. vt *Ambroſius*, qui nondū erat ſacris baptiſmi initiatus, deſignaretur Epiſcopus, eaq; re audita, Imperatorem iuſſiſſe illum egregium virum extemplo & initiari myſteriis, & Epiſcopum ordinari. Sic apud Auguſtinum epiſt. 110. deſcribitur electio Eradij in ſucceſſorem Auguſtini. Denique, ne omnia colligam, Rhegino ad annum octingenteſimum ſexageſimum nonum Vuilibertum a plebe electum à Luitperto, Moguntiæ Archiepiſcopo, ordinatum fuiſſe in Colonienſem *Archiepiſcopum* teſtatur.

III. Et hæc quidem de Electione certa olim fuerunt. De Conſecratione autem diſertus eſt Nicenus Canon quartus. Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. *Epiſcopum conuenit maxime quidem ab omnibus eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis conſtitui. Sin id difficile ſit, ſiue ob inſtantem neceſſitatem, ſiue ob itinerum longitudinem, omnino tres congregatos, ordinationem facere oportet, ſuffragantibus tamen abſentibus, & conſenſum ſuum teſtantibus per literas. Cæterum in ſingulis Prouinciis eorum geſtorum confirmatio concedatur Metropolitæ.*

IV. Hæc vetus erat Politia. In qua notandum ſuffragiis electionem fieri ſolitam: & ſuffragiis quidem, non ſolius Cleri, ſed totius plebis, ſiue, vt Cyprianus loquitur, vniuerſæ fraternitatis. Cum hodie apud Papiſtas ſuffragia omnino nulla ſint, ſed tantum aulica ambitio: quæ tamē ſeueriſſime olim interdicebatur: Canone Apoſtolico 30. & multis deinceps Conciliis. Secundo, electum iis ſuffragiis ſtatim fuiſſe conſecratum à præſentibus Epiſcopis: nullis exſpectatis Romanenſibus mandatis: cum tamen hodie in Pontificali diſerte contra caueatur, *In primis animaduertendum* (inquit) *quod nemo conſecrari debet, niſi prius conſtet conſecratori de commiſſione conſecrandi, ſiue per literas Apoſtolicas, ſi ſit extra curiam: ſiue per mandatum à Camera Apoſtolica emanatum in ipſa curia: ſiue per commiſſionem viuæ vocis oraculo à ſummo Pontifice conſecratori factam, ſi conſecrator ipſe ſit Cardinalis, alioquin ei non debet credi.* Tertio, eius actionis τὸ κῦρος pertinere ad Metropolitam eius prouinciæ. Eſt autem τὸ κῦρος plena cuiuslibet actionis confirmatio, præter quam nihil vltra quæratur. Quæ omnia δὶς διὰ πασῶν aduerſantur Monarchicæ autoritati.

## CAP. XI.

### *Ab vno homine regi non poſſe vniuerſas Eccleſias.*

I. SI Eccleſiæ regimen eſſet Monarchicum, ergo vnicus homo poſſet ſufficere regendis omnib. per totum orbem terrarum Eccleſiis. *At* hoc fieri non poteſt: Ergo, Eccleſiæ adminiſtrandæ inepta eſt Monarchia. Vtraq; pars argumenti per ſe patet. Nam conſequentia quidē neceſſaria: alioqui, quorſum committeretur cuipiam id onus, cui non tantum ſubeundo eſſet impar, ſed etiam exercendo inutilis? Aſſumptum autem concedet quicumq; vires humanas habuerit cognitas, & Eccleſiæ molem.

II. Et tamen aduerſarij bellum indicunt ſenſui communi: & aſſumptum impugnant Petrus Horantius bis diſtinguit, locorum Catholicorum lib. 6. c. 11. Primum quidem, verum fore aſſumptum, ſi huius vnius hominis humana prudentia, ſapientia, iudicio, ſit nitendum duntaxat: & non magis illi excellentiſſimæ promiſſioni, qua Deus, ei ſedi pollicitus eſt, ſe eam non deſerturum: item illi Chriſti orationi, qua in altiſſimis defixa ſedes hæc radicibus, nunquam vi aut terrore labefactari poſſit.

III. Sed Chriſti promiſſiones fruſtra iactantur: quæ nullæ ſunt. Negatur enim vlli ſedi à Deo vllam vnquam huiuſmodi factam promiſſionem, quæ eam aſſerat ſuffecturam omnibus totius orbis Eccleſiis regendis. Pollicitus eſt ſane Chriſtus ſe Eccleſiam ſuam nunquam deſerturum: at ea Eccleſia non eſt aliqua vna particularis vnius Epiſcopi ſedes, ſed quælibet indefinite. Quare, ſi ea promiſſione id ſignificaretur, quod eſt in quæſtione, ſequeretur, quamlibet Eccleſiam, Eugubinam puta, ſufficere omnibus Eccleſiis gubernandis. *A*ſſeruit etiam idem Dei Filius, ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum ſuper Petram: atq; hanc eſſe credo alteram promiſſionem ab Horantio indicatam. *A*tqui, neque illa Eccleſia, vnam aliquam ſedem ſignificat: neque ędificari ſuper Petram, idem eſt ac ſufficere omnibus Eccleſiis regendis. Quare, cum nihil huiuſmodi promiſſum ſit, quid poſſit Deus ne quæramus: ſed quid ſoleat aut poſſit fieri ex rerum natura attendamus. Quanquam fatemur ſane Eccleſiæ regimen non niti humana prudentia, humanove iudicio: ſed à Deo iis qui ad ea gubernacula vocantur ſuffici idoneam virtutem. Verum addimus, eam virtutem eſſe dimenſam, non immenſam: nulliq; vni propriam, ſed pluribus communem: vnus enim ille eſt, cui non det Spiritum Deus ἐν μέτρῳ: Ioannis 3. at reliqui ex eius plenitudine hauriunt gratiam pro gratia: Ioannis 1. vnde fit, vt ſinguli ſingulis gregibus ſuæ fidei commiſſis, paſcendis ſint ſatis: imo vero vix ſint ſatis: nedū totum orbem ſua ambitione complectantur.

IV. Rurſus diſtinguit Horantius. *Ad ſummum Pontificem non deferri niſi grauiora negotia: cũ ſingulis Eccleſiis ſui tribuantur Epiſcopi.* Sed & hoc fruſtra. Nam primum, ſequitur non regi ab eo homine Eccleſiam, niſi ex parte tantum, nec ſemper. Quam gubernandi rationem à Deo inſtitutam, quis probarit è Scripturis? *Aut* quis vnquam ea Chriſti verba, *Paſce oues meas*, ſic eſt interpretatus: non ſemper paſce, ſed tantum, cum ingruent maxima negotia? Deinde, hac ipſa ſolutione confirmatur argumentum: quia inde cõſtat ineptum eſſe regendis omnibus Eccleſiis vnum hominem, cum neceſſe ſit ad eum nõ omnia, ſed quædam tantum referri negotia: id enim eo fit, quod non poſſit omnibus par eſſe. Quemadmodum in exodo, cum Iethro Moſi autor eſſet aſſumendorum ſeptuaginta Iudicum, hac ratione perſuaſit, *Vltra vires tuas eſt negotium*. Exodi 18.

V. Denique, hoc ipſum negatur, vnum hominem parem eſſe poſſe omnibus adminiſtrandis Eccleſiarum toto orbe diſperſarum negotiis maiorib. Nam quæ illa, quæſo, maiora ſunt negotia? inſtitutio, deſtitutioque omnium Epiſcoporum: omnium hæreſeon, hæreticorumque condemnatio: eorum qui in Eccleſiã quoquomodo inſurgunt compreſſio: Schiſmatum ſanatio: & infinita alia: ſed etſi illa ſola, tamen ea dico eſſe ſupra vires vnius hominis. Atque adeo non eſt neceſſe procul argumẽta conquirere: nam id ipſa docuit experientia. Non potuit Innocentius compeſcere eos, qui iniuſte Chryſoſtomum vexabant. Non potuit Liberius Conſtantio reſiſtere fauenti Arianis. Dioſcori ambitioſam inſolentiã Leo domare non potuit. Imo viuo Theodoſio nunquam Synodum conuocare. Mille exempla colligam huiuſmodi. Quid, cum oppoſuerunt ſe Papæ Imperatoribus, inuolantibus (ſic enim fingebant) in iura Eccleſiæ? Friderico, inquam, Aenobarbo, & ſimilibus: cur tanti ſunt Bellorum impetus concitati, ſi ſolus ſufficiebat in ea ſede ſedens homuncio? Nam is tum vti coactus eſt armis non ſuis, id eſt, non Eccleſiaſticis.

VI. Sic argumentum ſoluebat Horantius. *At* Bellarminus vtile eſſe & commodum diſputat, vt vnus homo totam Eccleſiam regat, per multos ſibi ſubiectos paſtores, neque eſſe non poſſibile. Duplici argumento. Primo, quia poſt. ad Corinthios 11. Paulus dicat ſe habere curam omnium Eccleſiarum: quod Chryſoſtomus exponit totius terræ curam gerere. Altero, quia multi Principes ſeculares habuerunt à Deo regna ampliſſima, & maiora, quam nunc ſit orbis vniuerſus Chriſtianus: quæ niſi adminiſtrare potuiſſent, data eis à Deo nunquam fuiſſent. Neque vnquam felicius adminiſtratus ſit orbis terrarum, quam Auguſti temporibus. Cum igitur Deus totum fere terrarum orbem vnius hominis imperio parere voluerit, cur non potuit Eccleſiam vniuerſam vnius hominis prudentiæ ac ſolicitudini commendare?

VII. Sed facilior eſt aſſertio, quam probatio ſolidior. Nam primo, etſi multi ſunt Scripturæ loci qui agunt de Eccleſiis regendis, tamen nullus eſt qui hanc rationem tradat, vt quiſpiam, quod ſui muneris eſt agat per alios. Eſt enim Epiſcopatus, Apoſtolo quidem ἔργον, Veteribus vero λειτουργία. Secundo, primis Eccleſiæ ſeculis nego eum morem fuiſſe, vt vnus omnes Eccleſias texerit per alios ſibi ſubiectos. Denique inepte & abſurde dici aſſero, Eccleſias regi ab vno per alios ſibi ſubditos. Nihil enim aliud id poteſt ſignificare, quam eos plurimos Eccleſias regere, non ſuo iure, ſed alieno, tanquam legatos alterius, qui ius ſuum omne mutuentur, habeantque precario ab eo, cui ſunt ſubditi. Sic in regno dicuntur reges, omnes ſibi ſubiectas prouincias adminiſtrare per ſuos miniſtros: quia ij miniſtri in eas Prouincias nihil habent iuris, niſi quantum accipiunt à Regibus, qui eas illorum fidei committunt. Sic Romana Reſp. prouincias regebat, per proconſules, Prætoreſue.

VIII. At Eccleſias Epiſcopi ſinguli ſingulas regunt ſuo iure, non vero accepta poteſtate precaria ab vllo vno: dicunturque & ſunt Epiſcopi, non vllius Epiſcopi vicarij. Eccleſiam Conſtantinopolitanam regebat, Exempli gratia, Chryſoſtomus, Alexandrinam Cyrillus, Cæſarienſem Baſilius, hoc iure, quod ſinguli earum eſſent Epiſcopi, legitimo ordine à plebe electi, à collegis probati, & conſecrati. Itaque inepte dicitur Epiſcopus Romanus eas Eccleſias rexiſſe, per Chryſoſtomum, Cyrillum, Baſilium, ſibi ſubditos: quos potius ſuos ſolebat appellare collegas, id eſt, æquo iure præpoſitos Eccleſiis Conſtantinopolitanæ, Alexandrinæ, Cæſarienſi, atque Romanæ. Itaque Epiſcopi per Galliam ſcripſere ad Nicolaum, à quo ſeuerius erant tractati anno octingenteſimo ſexageſimo tertio, *Scieſque nos non tuos eſſe, vt te iactas & extollis, clericos, quos vt fratres, & coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras.* Extat epiſtola in *An*nalibus autoris incerti, à Petro Pithæo editis. Denique Cyprianus dixit, *Vnum eſſe Epiſcopatum, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Quod certe eſſet abſurdiſſimum, ſi omnes Eccleſiæ ab vno regerentur per plurimos. Quis enim dicat, vnum eſſe regnum, cuius in ſolidum pars teneatur à ſingulis, qui eius regni prouincias adminiſtrent tanquam regis officiarij?

IX. Ad argumentum primum reſpondeo: Non eſſe idem habere ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, & regere omnes Eccleſias: teſte Gregorio Magno, Epiſtola 32. libri 4. de Petro, *Cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur: & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.* Imo Cyprianus Epiſtola 67. ei curæ vult omnes Epiſcopos incumbere, *Etſi Paſtores,* inquit, *multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſiuit, colligere & fouere debemus.* Hoc igitur teſte, non ad Apoſtolos ſolum, ſed etiam ad quemlibet Epiſcopum pertinet ſollicitudo de omnibus Eccleſiis Quod ſi ita eſt, tum profecto oportet diuerſa eſſe, curam habere omnium Eccleſiarum, & omnes Eccleſias regere, ſiue per ſe, ſiue per alios. Enimuero Paulus non poteſt dici pauiſſe eas Eccleſias, quas nunquam vidit, puta Indiam, aut Arabiam, aut ſi quæ ſunt huiuſmodi. Nemo etiam dixerit Iacobum, quem Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe volunt, rexiſſe aut Romam, aut *A*lexandriam, aut Antiochiuam, aut Epheſum. Quid? quod Paulus teſtatur ſibi prouinciam datam Gentium, Petro Iudæorum? Habuerit ergo ſane curam omnium Eccleſiarum: ſed nihilominus ei mandatam eſſe vnam prouinciam verum eſt. Si rexit, pauit, gubernauit vnam prouinciam, ergo non omnes: Nam ea eſſe oppoſita, quis non videt?

X. In ſumma: poteſt quilibet curam gerere, etiam eorum qui ſibi non ſunt ſubditi. Cyrillus ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum in *Actis* Synodi Epheſinæ, ὀψὲ μὲν ἴσως καὶ μόλις ἤλθομεν, ἐφ' ὅπερ ἦν ἄμεινον ἐν ἀρχῇ ἐλθεῖν τὸ φροντίδα ἔχειν, φημὶ, τῆς ἁπάντων ὑμῶν σωτηρίας, *Sero, ac vix tandem eo venimus quo ab initio veniendum erat, vt curam haberemus veſtræ omnium ſalutis.* Et tamen ad Alexandrinum Epiſcopum Conſtantinopolis non pertinebat. Cœleſtinus Romanus ad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Clerum & populum Catholicum Conſtantinopolitanum, in *Actis* eiuſdem Synodi. ἡμεῖς πατρικῆς φροντίδος, ἣν ὑπὲρ ὑμῶν κινούμεθα, ἀλλοτρίῳ πυρὶ ἐνεπρήσθημεν, *Nos, paterna cura quam gerimus de vobis, vrente alieno igne incenſi ſumus.* *A*lienum ignem appellans ea, quæ Eccleſiam Conſtantinopolitanam perturbabant. Quod quo ſenſu dici potuiſſet, ſi ad Cœleſtinum Conſtantinopolitana negotia proprio iure pertinerent, tanquam ad Monarcham? Nam certe non is ignis alienus eſt Regi, qui aliquam à ſuis prouinciis infeſtat, ſed domeſticus. Itaque, cum ſic loquutus eſt Cœleſtinus, indicauit Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſibi non eſſe ſubiectam: & oſtendit ſimul poſſe nos alienorum curam gerere.

XI. Itaque etſi Apoſtolus dicat, ſibi incumbere ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, id tamen non euincit vnum hominem ſufficere regendis omnibus Eccleſiis. Alias, quorſum plures inſtituti fuiſſent à Chriſto Apoſtoli? quorſum etiam ipſi inter ſe diſtribuiſſent Prouincias? Quinetiam ipſe *A*poſtolus ſtatim explicat, quam curam intelligat, ſubiiciens, *Quis affligitur, quin ego affligar? quis offenditur, quin ego vrar?* Vnde Gloſſa interlinearis, Lombardus & alii, eam curam ex charitate prouenire dicunt.

XII. At Sanderus lib. 3. c. 1 inſtat. & negat Paulum talem ſollicitudinem intellexiſſe, quæ ſolo animo, ac non etiam exteriore opere exerceretur: quia dixerit Barnabæ, *Viſitemus fratres, per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus Verbum Domini.* Præterea, varias ad varios ſcripſerit Epiſtolas.

XIII. Reſpondeo, nullo modo Paulum potuiſſe opere exteriori, id eſt, iis officiis, quæ neceſſaria ſunt ad adminiſtranda Eccleſiaſtica negotia, exercere curam omnium, quæ vbique eſſent, Eccleſiarum: & certum eſſe non paucas toto orbe fuiſſe, ad quas ille nec peruenerit, nec ſcripſerit. Nam, etſi longus ſit tractus ab Hieruſalem, vſque ad Illyricum, quo ſpatio impleuiſſe ſe teſtatur prædicandi Euangelii munus: tamen, qui eum tractũ comparabit cum vniuerſo orbe, exiguum dicet. Proinde eam curam neceſſe eſt intelligi de affectu interno ex charitate ſumma, qua ſic volebat Eccleſiis proſpectum, vt nihil accideret, quod eis non proficeret ædificandis, vbicunq; terrarum eſſent. Et ſane locus ex Act. 15. non ad omnes Eccleſias extenditur abſolute: ſed limitatur ad eas, in quibus ante Paulus & Barnabas prædicarant, nempe in Piſidia, Iconio, Lycaonia, & vicinis prouinciis.

XIV. Sed hic rurſus Sanderus. Cum Pauli ſolicitudo talis omnino ſit, qualem nos (inquit) hodie Pontifici Romano vindicamus, cur in hoc iudicatur impoſſibilis? Reſpondeo, non eſſe eandem curam. Nam, hoc ſibi tribuit Romanus, vt à ſe vno pendeant omnes omnino Eccleſiæ, & quidem ſolo. Cum Paulus nihil derogatum vellet ſuorum collegarum autoritati: atque adeo ſtudioſe vitaret eos locos, in quibus illi priores functi eſſent ſuo munere. *Ita ambiens* (inquit) *prædicare Euangelium, non vbi nominatus eſſet Chriſtus, vt ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*: ad Rom. 15. Itaque in Indiam legitur nunquam excurriſſe: aut in alias orbis partes, quæ erant aliis aſſignatæ Imo ne Hieroſolymis quidem vſus eſſe ſua autoritate; aut vllam eius Eccleſiæ adminiſtrandæ partem vſurpaſſe.

XV. Iam de ſecundo Bellarmini argumento. Reſpondeo, primum non quæri quid poſſit Deus: quando non conſtat quid velit: ſed tantum quid poſſit homo. Noſtrum nemo eſt qui dubitet, ſi Deus conſtituiſſet vni homini hoc onus imponere, vt vniuerſo orbi prouideret, id illum perfecturum. Quia non eſt apud illum quicquam impoſſibile. Sed fruſtra ſibi homines de eius potentia blandiuntur, deſtituti eius promiſſis: quod ſemper Papiſtæ faciunt. Quaſi non in alium finem putarent Deum eſſe omnipotentem, niſi vt hanc Omnipotentiam cum vellent, exſereret: quomodo dicunt ſecularem gladium ad nutum ſui Oecumenici exſerendum. Quid his precemur, præter bonam mentem?

XVI. Secundo, nego vnquam totum terrarum orbem vnum Imperatorem agnouiſſe: imo ne maiorem quidem partem orbis: nego vlla eſſe oracula, quæ promittant aliter fore: Etſi non defuerint qui ſibi conati ſint totum orbem ſubiicere, imo lacrymati ſint, cum audirent alios orbes præter iſtum. Sed horum conatus irritus, ſatis arguit ne in rebus quidem ſeculi, poſſe vllum vnquam hominem toti orbi imperare. Eccleſiam autem olim longe latius diffuſam, quam vllum vnquam Imperium, certo certius eſt. Nam Perſæ, quos nunquam Romana domuerunt arma, ad eam pertinebant, & Scythæ: & tamen Euſebius Concilio Nicæno, tum ex Perſide tum è Scythis adfuiſſe teſtatur Epiſcopos. Atque adeo certum eſt, Eccleſiam ſua natura nullis terminis eſſe circumſcriptam. Quid tum igitur ſi olim fuerint Regna maiora, quam nũc ſit orbis Chriſtianus? Non enim Oecumenicus huic duntaxat tempori imponitur, ſed vniuerſæ Eccleſiæ ab initio ad finẽ. Tum eadem libertas, quæ antiquis temporibus ei fuit, & hodie conſeruanda eſt. Itaque dolendum quidem, arctiores eſſe Chriſtianitatis limites, quam fuerint iampridem: ſed non propterea, Eccleſiarum, quæ quantumuis pauculæ ſuperſunt, libertas immani ſubiicienda tyrannidi.

XVII. Tertio, alia eſt ratio adminiſtrandæ Eccleſiæ, alia Imperij. Nam hoc poteſt per Vicarios adminiſtrari: imo potius non poteſt niſi per Vicarios. At Eccleſia non item: nam etiam Chorepiſcopi olim damnati ſunt, quos hodie Epiſcoporum vicarios dicunt. Et imperij adminiſtratio, cum verſetur circa res terrenas, non excedit vires humani ingenij At Eccleſiæ regimen totum eſt ſpirituale: itaque non mirum, huic impares eſſe humani ingenij vires, quantumuis magnas. Ac ſane operoſiorem, oneroſioremq; eſſe Eccleſiæ curam, agnoſcet, quicumque reputabit apud ſe, ei ipſam, vt ita dicam, rerum vniuerſitatem eſſe oppoſitam: & multo difficilius hæreſin eradicari è cordibus hominum, qui eam ſemel imbiberint, quam hoſtes fugari è republica: vt innumera alia prætermit

termittam. Denique Chryſoſtomus hoc agit multis libris, de Sacerdotio, vt doceat, ipſum Epiſcopatum, id eſt, vnius Eccleſiæ curam, tantam eſſe, vt nemo hominum ei par ſit: & nos credemus omnium Eccleſiarum adminiſtrationi vnum ſufficere?

XVIII. Hic tamen inſurgunt Bellarminus & Sanderus, aſſerentes multo facilius Eccleſiam adminiſtrari, quam imperium: duobus argumentis. Quorum prius eſt Bellarmini: Reges non habent alia præſidia quam humanam prudentiam, & generalem Dei prouidentiam. Pontifex autem, habet ſupernaturale lumen fidei, Scripturas Sacras, cœleſtia Sacramenta, & particularem diuini Spiritus aſſiſtentiam. Alterum Sanderi: Fideles multo facilius reguntur, quam Ethnici: quia hi nihil niſi coacti faciunt; illi ſponte: hi metu, illi amore: hi non niſi ſuum commodum, honoremque, illi in primis Dei honorem, & proximi commodum ſpectant.

XIX. Reſpondeo ad Bellarminum, ſupernaturale lumen, Scripturas Sacras, cœleſtia Sacramenta, non eſſe particularia vni alicui paſtori: ſed communia vel omnibus, vel certe plurimis. Proinde non poſſe fauere Oecumenico Pontifici. Nam quid defuit, exempli gratia, Ignatio, Athanaſio, Ambroſio, Baſilio, quominus illa ſibi vindicarent? *A*ut quem mihi dabunt ex eorum numero quos Oecumenicos volunt fuiſſe, qui his ſit æquandus? Specialem autem Spiritus aſſiſtentiam; nemini vni vnquam eſſe promiſſam, ſciunt Chriſtiani: niſi forte intelligas, generalium promiſſionum, ſpecialem applicationem, diſtributis donis pro varia menſura: quæ nihil attinet ad Oecumenicum. Illam enim aſſiſtentiam ſpecialem habuit Athanaſius, habuit Baſilius, habuerunt alij, qui tamen Oecumenici nunquam fuerunt.

XX. *A*d Sanderum. Primo importune comparari Ethnicos Chriſtianis. Nam inſtitutum argumentum, non habuit comparationem Imperij Ethnici, cum Eccleſia: ſed ſimpliciter Imperij. Non eſt autem omne Imperium Ethnicum: itaq; non eſſet hæc ratio vniuerſalis, & perpetua, nec inde petitum argumentum neceſſarium.

XXI Secundo, ne Ethnici quidem bene deſcribuntur: quia non eſt verum Ethnicos nihil facere niſi coactos, & ex metu. Contra enim, nunquam Chriſtiani magis conſpirarunt ad vtilitatem publicam Reipublicæ vllius, quam Ethnici: quod probare licet infinitis exemplis, ex veteri hiſtoria repetitis.

XXII. Tertio: ipſi Chriſtiani deſcribuntur non quales ſunt, aut omnes, aut magnam partem, ſed quales eſſe debent, quod ad facultatem regiminis nihil facit. Nam in Repub. optandi quidem ciues optimi: ſed qui contigerunt tamen regendi. Et in ipſis rebus Eccleſiæ, tum Schiſmata, tum hæreſes, manifeſto ſunt indicio, non omnes eſſe, quales Sanderus opinatur.

XXIII. Denique non ferendum, ſic loqui Sanderum, quaſi ex ſolis fidelibus Eccleſiæ conſtarent, de quarum regimine nunc agitur Cum tamen & alias Papiſtæ pertinaciſſime diſputent Eccleſiam vniuerſalem conſtare tam ex reprobis quam ex electis: & nos fateamur id eſſe verum in omnibus particularibus: in quibus experientia teſtatur, & ipſum Dei verbum perſpicue docet non minimam, ſæpe etiam maximam partem eorum eſſe, qui ſola profeſſione ſint fideles: cæterum hypocritę, ἄτακτοι, αὐτόνομοι. Atque hæc ingenia mirum quam difficilem reddant Eccleſiæ adminiſtrationem! maxime cum ne coercita quidem extremo ſupplicio (quod in Eccleſia vltra excommunicationem, & anathematiſmum, nullum eſt) nocere deſinant. Nam Apollinaris, & Marcion, poſt excommunicationem hæreſin facere cæperunt. Arius & Neſtorius, & alij, ne excommunicatione quidem flecti potuere. Quare nihil tandem relinquitur, quo facilior oſtendatur *E*ccleſiæ adminiſtratio, adminiſtratione Reipub. aut quo doceatur vnum hominem eſſe parem regendis omnibus toto orbe *Eccl*eſiis

## CAP. XII.

### *De Cypriano & Hieronymo.*

I HActenus argumenta noſtra. Nunc venio ad Patres: Quorum primus eſto Cyprianus. Is epiſt. 55. quæ eſt ad Cornelium *E*piſcopum Romanum, *Singulis* (inquit) *Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* Vnde geminum argumentum. Primum ſi ſingulis paſtoribus portio gregis eſt adſcripta: ergo nulli totus grex. Satis ſit ergo Romano Epiſcopo ſua portio, nec in alienas vſurpet imperium: aut ne ſe paſtorem dicito, ſed lupum rapacem. Hoc autem conforme eſt autoritati Petri, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Chriſti*, de quo iam ante egimus. Alterum. *S*i ſinguli paſtores ſic regunt gregem, vt ſui actus rationem Domino ſint redditurı: ergo nullus eſt, qui ab aliis eam rationem exigendi ius habeat: ac proinde nullus eſt Oecumenicus.

II. Et hoc quidem poſterius explicatur, confirmaturque ab eodem Cypriano in oratione, quam habuit ad Concilium Carthaginenſe, *Neq; enim*, inquit, *quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos addixit: quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis ſuæ arbitrium proprium, tamq; iudicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum iudicare. Sed exſpectemus, vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.*

III. Eſt vero notandus Cypriani ſcopus in ea Epiſtola, ex eius negotij quod tractat hiſtoria. Nonnulli Schiſmatici, in Africa condemnati, & abſtenti Romam nauigarant ad Cornelium, vel ſui purgandi, vel Cypriani accuſandi gratia. Hoc factum grauiter Cyprianus exagitat, cum aliis argumentis, de quib. alias: tum iſtis duobus, quæ nunc obſeruauimus: dileſte innuens non teneri Epiſcopos *A*fricanos ſuorum iudiciorum rationem reddere Romano Pontifici: ex hoc generali axiomate, *Quia ſingulis Epiſcopis portio gregis ſit adſcripta, quam regat quiſque, ſui actus rationem Deo redditurus*: quaſi diceret, Romanum Epiſcopum ſuam habere ditionem, Africanos item ſuam: & quemadmodum Africanis non licebat regere tranſmarinas Eccleſias, ſic nec Romano Africanas; quia non eſſent illi adſcriptæ, ſiue commiſſæ: nec poſſe à Romano reſcindi Africanorum iudicium, quia ipſi eſſent ſoli Deo ſuorum actuum rationem reddituri.

IV. Sanderus libro ſeptimo, negat orationem Cypriani ad Concilium Carthaginenſe, quicquam detrahere Pontifici Romano: idq; triplici argumento conuincit, etſi perfunctorie. Primo, cum dicit neminem ipſorum conſtituere ſe Epiſcopum Epiſcoporum, vtiq; ſignificat ſe, quanquam ſit Primas; non tamen id ſibi ſumere, vt collegis ſuis præſcribat, quid ipſi aut dicant aut faciant Secundo, Romanos ſeſe non conſtituit, ſed à Deo cõſtitutus eſt. Tertio, Quod Epiſcopus Romanus, Epiſcopus conſtitutus ſit, non quidem Epiſcoporum, ſaltem quoad ordinem ſacerdotalem, ſed tamen etiam Epiſcoporum, quoad gubernationem omnium Chriſti ouium, & fratrum confirmationem.

V. Reſpondeo; ad primum falli Bellarminum: quia non ſe tantum Cyprianus intelligat, ſed omnes Epiſcopos tum coactos, *Supereſt*, inquit, *vt de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum*: & cætera, quæ ſunt iam recitata. Ergo, vult Cyprianus ſic tractari quæſtionem de hæreticorum baptiſmo, vt non tantum ſententiam ſuam quilibet dicat libere: ſed etiam vt ne quis propterea communione priuetur, quod aliter ſe credere profiteatur. Cuius ratio illud axioma, non eſſe vllum Epiſcopum Epiſcoporum, cui reliqui actus ſui rationem reddere teneantur: Alias enim non opus erat hac oratione: quia nunquam Primates ius habuerunt Epiſcopis ſuis præſcribendi, maxime in Concilio, quid dicerent, aut ſentirent.

VI. Ad ſecundum, Sumitur res controuerſa pro certa: hoc enim ipſum quæritur, vtrum Romanus Pontifex à Deo conſtitutus ſit Epiſcopus Epiſcoporum. Deinde illud, conſtituit intelligendum, gerit ſe: vt neget Cyprianus vlli ius eſſe gerendi ſe pro Epiſcopo Epiſcoporum. Eſſe autem eam ſententiam generalē, patet ex proxima, *Quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium.* Nam ſi hoc vniuerſaliter verum, vt voluit Cyprianus, colligitur ſine dubio vniuerſaliter, non vero tantum particulariter pro Epiſcopis Africanis.

VII. Ad tertium, etiamſi concedatur diſtingui Sacerdotium à iuriſdictione, tamen nihil eſt, quo eneruetur vis teſtimonii citati. Quia Cyprianus agit non de *S*acerdotio, ſed de ouibus paſcendis: &, vt poſtea Sanderus loquitur, non de ordine, ſed de iuriſdictione. Agit enim de remouendis Epiſcopis à iure communionis, id eſt, de excommunicatione Itaque non tantum quoad ordinem, quod vltro concedit Sanderus: ſed ne quidem quoad iuriſdictionem, vllus eſt Epiſcopus Epiſcoporum.

VIII. Secundus locus è Cypriani libro de Vnitate Eccleſiæ, *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Et Epiſtola quinquageſima tertia, *Epiſcopatus vnus eſt, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Et 67. ad Stephanum, *Etſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus: & oues vniuerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quaſiuit, colligere, & fouere debemus.* Cypriano accedit Alexander Epiſcopus Alexandriæ, in ea ad omnes Epiſcopos, quæ exſtat apud Socratem libro 1. c.3. *In Sacris literis vnum eſt corpus Eccleſiæ Catholicæ nobis traditum.* Sic enim Chriſtophorſonus legit. Nec aliter Clemens ille, quiſquis fuit, Conſtitutionũ 6.c 14. ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν εἰς ἐπιστηριγμὸν ὑμῶν τῶν τὴν καθόλου ἐπισκοπὴν πεπιστευμένων. Nos Apoſtoli *ſcripſimus vobis Catholicam hanc doctrinam ad fulciendum & confirmandum vos, quibus vniuerſalis Epiſcopatus creditus eſt.* Senſus eſt horum omnium locorum, æquo omnes iure Epiſcopos eſſe factos: eumque gradum, qui in Eccleſia Epiſcopatus dicitur, vnum eſſe, & in omnib. eundem, id eſt, vnius vbique naturæ, dignitatis, & poteſtatis. Atque id eſt quod expreſſum Cyprianus voluit, cũ dixit, *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Nempe quia ſinguli Epiſcopi, quaſi indiuidua quædam ſint illius ſpeciei, quæ Epiſcopus appellatur: ac proinde oporteat eos ſingulos, etſi partes ſint duntaxat, totam participare Epiſcopatus naturam: quemadmodum homines ſinguli, cum ſint indiuidua, totam tamen in ſe naturam habent eius ſpeciei, quæ dicitur homo. Sic ſingulæ Eccleſiæ, totam ipſam Eccleſiam per partes poſſident. Hinc eſt illud etiam quod dicitur, Epiſcopatum vnum diffuſum eſſe concordi Epiſcoporum numeroſitate: & diſertius, multos paſtores vnum gregem paſcere, hoc eſt, vniuerſas oues: & vt loquitur Alexander, vnum corpus Eccleſiæ Catholicæ. Quare ſi omnes, æquo iure, hoc eſt, in ſolidum, Epiſcopi ſunt totius corporis Eccleſiæ: ergo neceſſe eſt nullum eſſe Oecumenicum Pontificem, qui habeat in alios Epiſcopos imperium. Sic olim Romæ, Senatores erant plurimi, ſed ſinguli in ſolidum Reipublicæ Romanæ Senatores: aut ſi mauis, Proconſules eiuſdem Reipublicæ Proconſules, ſed in variis ſibi attributis prouinciis, alii in alios ius nullum habentes, ſed omnes eiuſdem poteſtatis collegæ. Sic hodie ſeptem Electores Imperii in ſolidum ſinguli ſunt Electores, nec vnus quatenus Elector, alio maior.

IX Hoc illuſtri teſtimonio Cypriani, quum valde premi ſeſe ſentiant aduerſarii, mirum quantis, quam variis artibus eludere conentur, ſibi mutuo nunquam ſatisfacientes Franciſcus Agricola c. 18. eatenus ita loquutum Cyprianum aſſerit, tum quia extra Catholicam Eccleſiam legitimus Epiſcopatus nullus ſit: tum quia inter Epiſcopos Catholicæ Eccleſiæ viſibilis, Paſtor viſibilis à Chriſto ordinatus, & ordinaria ſucceſſione continuandus, principalis & ſummus Epiſcopus: cui alii inferiores Epiſcopi & Collegæ ſint, inferiores tamen, atque diuina ordinatione merito, ſemperque ſubiecti.

X. Hæc ille: ſed vt alter Pythagoras, αὐτὸς ἔφα. Probationum tantum habet, quantum ſyluæ Delphinum. Tantam autoritatem ſibi Ieſuitæ arrogant: At nos audaciſſimos aſſertores, ſecuriſſime irridemus, non innutriti cæcæ obedientiæ. Porro prius membrum eſt inutile. Etſi enim verum ſit, extra Catholicam Eccleſiam nullum eſſe legitimum Epiſcopatum, tamen non propterea, non omnes Epiſcopi intra Eccleſiam eodem iure ſunt Epiſcopi: quanquam facile lector videt, id eſſe præter Cypriani ſcopum. In altero membro, perſpicua falſitas: neque .n. de viſibili

paſtore vel literam Cyprianus habet, neque de principali & ſummo: neque de collegis inferioribus, & ſubiectis. Imo hæc omnino pugnant cum iis verbis, *à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Non poteſt enim vel fingi ratio, quomodo inferiores cum ſuperioribus, & ſubiecti cum Dominis, eandem dignitatem in ſolidum teneant. Non poteſt, inquam, fieri: & quicunque contra imaginantur, monſtra ſibi fingunt.

XI. Hayus diſputationum libro primo, capite vndecimo, aſſerit, nomine vnius Epiſcopatus Eccleſiam intelligi, cui vnum Epiſcopum, Chriſti Domini in terris Vicarium, præſidere vult. Huius autem vnius Epiſcopatus, à ſingulis Epiſcopis in ſolidum partem teneri; quia ſinguli Epiſcopi de Chriſtianis ſuæ curæ commiſſis Domino ſunt rationem reddituri: quæ explicatio fuerat Turriani.

XII. Sed vix potuit quiſquam magis falli. Primum enim diſtinguitur exſerte Eccleſia ab Epiſcopatu, apud Cyprianum, *Quam vnitatem* (inquit) *firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus.* Erat autem loquutus de vnitate Eccleſiæ. Itaque ſenſus eſt, Epiſcopos debere vnitatem Eccleſiæ tenere, vt vnumquoque oſtendant Epiſcopatum. Ergo aliud eſt Eccleſia, aliud Epiſcopatus. Secundo, Epiſcopatus non intelligitur niſi abſtracte pro ipſo munere, vnde concrete Epiſcopi nominantur: *Maxime* (inquit) *nos Epiſcopi, vt Epiſcopatum vnum & indiuiſum probemus.* Ergo non eſt, vt vult Hayus, vnus Epiſcopatus, vnus Epiſcopus. Nam etiam quis ferre poſſet dicentem, vnus Epiſcopus eſt, cuius à ſingulis pars tenetur? Tertio, Cypriani verba ſunt vniuerſalia, *cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*: oportet igitur neminem excludi, qui ſe Epiſcopum profiteatur: itaque eum, quem toti Eccleſiæ præfectum Hayus ſomniat, aut non eſſe Epiſcopum, aut Epiſcopatus partem tenere. Quarto, Hayus diſſimulat illud, *in ſolidum*, & illa tantum expendit, *cuius à ſingulis pars tenetur*, cum tamen tota vis argumenti in eo ſit.

XIII. Sanderus libro ſeptimo: vnitatem Epiſcopatus iis rebus conferri dicit, quæ vnæ ſunt in origine, licet multiplicentur in propagatione. Ex eo effici, vt vnus Epiſcopus à Chriſto fuerit inſtitutus, à quo, velut à matre fœcunda, cæteri Epiſcopi procrearentur.

XIV. Fœda alucinatio. Primum, pro vno Epiſcopatu, vnus Epiſcopus ſubſtituitur: concretum pro abſtracto: qua in re Hayus inepte peccabat. Secundo, nunquam auditum eſt in Eccleſia, ab vno Epiſcopo alios eſſe procreatos Epiſcopos, tanquam à fœcunda matre. Atque adeo non poteſt conſiſtere cum euentu. Nam à Petro nemo Apoſtolorum creatus eſt. Ab omnibus autem Apoſtolis, multi Epiſcopi. Ergo à Petro multi Epiſcopi non fuerunt creati. Tertio, non cohærent præcedentia verba Cypriani, cum hac Sanderi interpretatione. Vult enim Cyprianus Epiſcopos vnitatem ſeruare, vt vnum & indiuiſum Epiſcopatum eſſe probent. At hæc multorum ab vno creatio, omnino eſt diuiſionis ſpecies: ideoque apud Papiſtas multi Epiſcopatus numerantur. Tum ſciunt omnes creationem non eſſe vnius eiuſdemq; naturæ participationem cum eo quod creat. Quarto, non Epiſcopatus, ſed Eccleſia comparatur iis rebus quæ vnæ ſunt in origine, licet multiplicentur in propagatione: quo facilius deprehenditur Sanderi ſophiſma, affirmantis vnum conſtitutum eſſe Epiſcopum à Chriſto, quia Epiſcopatus per propagationem vnus ſit. Quid enim? an vnicam dicet à Chriſto conſtitutam Eccleſiam, à qua, vt matre fœcunda, cæteræ procrearentur Eccleſiæ? Non dicet, opinor. Nam certe Romanam Chriſtus non conſtituit, ipſo Bellarmino confitente, non factum ex Chriſti inſtitutione, vt Epiſcopus Romanus ſit Petri ſucceſſor: lib. 2. de Pontifice c. 12 Itaq;, ſi eſſet aliqua à Chriſto fœcunda mater inſtituta, eam Hieroſolymitanam eſſe oporteret: pro cuius dignitate ſatis ſcimus aduerſarios noſtros non pugnaturos. Igitur oportet aliud eſſe Eccleſiam, aliud Epiſcopatum à Cypriano nominatum. Quinto, huic conſequentiæ Sanderi, quomodo cohærent hæc verba, *in ſolidum*? Nam ſi ſinguli partem vnius Epiſcopatus in ſolidum tenent, perinde Epiſcopus eſt Eugubinus, & Roffenſis, & Alexandrinus, & Romanus. Nec ea ratione maior eſt Romanus, quam quilibet alius Epiſcopus.

XV. Atque hoc obiiciendum præuidit Sanderus: & reſpondit: Omne genus hominum, recte vnum dici, quia vna ſit natura humana ab vno propagata, cuius partem ſinguli homines in ſolidum tenent. Sed tamen Adamum maiorem eſſe cæteris hominibus, vtpote patrem. Eodemque modo, licet ordo ſit idem, & idem Epiſcopale officium, tamen, quia Romanus Epiſcopus Cathedram Petri tenet, Petrus vero fuit ille primus Epiſcopus, quem Chriſtus velut aliorum fontem, & caput conſtituit, hinc fieri, vt Epiſcopus Romanus, etſi eandem Epiſcopatus naturam adeptus, omnibus tamen ſit maior.

XVI Sed primum falſo ſumitur, Adamum maiorem eſſe hominem reliquis hominibus. Fuit pater: ſed ea dignitas eſt accidens ad naturam hominis: non ipſa hominis natura. Secundo, rurſus falſum ſumitur, Petrum eſſe a Chriſto conſtitutum aliorum fontem & caput. Imo hoc ipſum eſt quod quæritur. Tertio, cõparantur diſſimilia: quia exemplum eſt de ſolo Adamo: apodoſis autem non de ſolo vno Epiſcopo, ſed de pluribus, ſiue de Epiſcoporum ſucceſſione. Atqui ſi verum, Petrum maiorem eſſe Epiſcopum, quia ab eo omnes orti Epiſcopi, quemadmodũ Adam maior fuit homo, quia pater omnium hominũ, oportuit illam inæqualitatem, vt in Adamo, ſic in Petro perſonaliter ſubſiſtere: quia principium generationis non multiplicatur: alias non futurum principium: quia principium ſemper eſt vnicum, atque indiuiduum. Nec ſane Epiſcopatus dignitas quotidie ſuam originem ſumere, niſi abſurde dici poteſt. Quarto, non vt Adam pater eſt omnium hominum, ſic Petrus principium omnium Epiſcoporum. Nec enim ex Epiſcopatu Petri prodierunt reliqui omnes Epiſcopatus, quemadmodum ex Adamo homine reliqui homines. Etenim, cum Adamus à ſe contulerit aliquid, & efficiens fuerit ſecundum Deum, omnium hominum, tamen Petrus non fuit efficiens omnium Epiſcoporum: ſed Chriſtus, ſiue per ſe, vt cum Apoſtolos inſtituit Epiſcopos, ſi quibuſdam credimus ex antiquis: vel per ipſos Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros, qui in variis Eccleſiis Epiſcopos conſtituerunt. Nec vero Cyprianus vnquam dixit, Petrum originem fuiſſe omnium Epiſcoporum: ſed tantum ex eius cathedra ortam ſacerdotalem vnitatem. Notentur ergo verba: non enim ſacerdotium ipſum dixit, ſed ſacerdotalem vnitatem: id autem ſignificat vinculum, quo in fraternæ conſenſionis vnitatem vincirentur omnes Epiſcopi, vt vnum corpus, imo vnum Epiſcopatum efficerent. Quod quomodo intelligendum ſit, alibi explicatur à nobis fuſius.

XVII. Bellarminus lib. 2. de Pontifice, cap. 16. Epiſcopatum vult vnum eſſe eo modo, quo Eccleſia eſt vna: hanc vero vnam eſſe eo modo, quo multi arboris rami ſunt vna arbor, multi riui vna aqua, & multi radij vna lux. Sicut ergo in ramis, riuis, radiis, vnitas eſt ratione vnius capitis: ita etiam Eccleſia vna eſt, inquit, & Epiſcopatus vnus in radice, & capite. Vnius igitur magni Epiſcopatus ab Epiſcopis ſingulis in ſolidum pars tenetur, ſed non æqualis, neque eodem modo. Nam Petrus, & eius ſucceſſores tenent eam partem, quæ eſt veluti caput, & radix, & fons: cæteri tenent alias partes, quæ ſunt velut rami, & riui.

XVIII. Atqui hæc toto cœlo, totaque terra aberrant à Cypriani mente. Is enim diſtincte ſingulas Eccleſias particulares comparat ramis, riuis, radiis, qui vnitatem ſeruent in origine. Quemadmodum igitur nulli rami ſunt robur ipſum, nulli riui fons ipſe, nulli radii lux ipſa: ſic nullas Eccleſias particulares, oportet eſſe eam Eccleſiam vnam, è qua multiplicatæ oriuntur. Si placet igitur eandem ſimilitudinem aptare ſingulis Epiſcopatib. neceſſe erit, vt ſint ſinguli diſtincti ab eo magno Epiſcopatu, vnde ortum ducent. Aut igitur, non erit is magnus ille Epiſcopatus, aliquis qui teneatur ab vno è ſingulis Epiſcopis, aut profecto ſui valde oblitum oportuerit Cyprianum.

XIX. Deinde: Sic vnus eſt (inquit) Epiſcopatus, quemadmodum Eccleſia vna. Eſto, inquam. Atqui Eccleſia non eſt vna hoc modo, vt vna quædam particularis Eccleſia ſit magna illa Eccleſia, vnde reliquæ oriantur. Ergo, ne Epiſcopatus quidem.

XX. Tertio, quod ait in ſolidum quidem, ſed non æqualem à ſingulis partẽ teneri, admitti poteſt, ſi inæqualitatem intelligas accidentariam. Neque enim omnes Eccleſiæ, aut omnes Epiſcopatus, amplitudine, & diuitiis pares eſſe poſſunt: ſicut neque in arbore rami, aut in fonte riui. Sed id nihil obſtat: neque inducit vllam inæqualitatem Epiſcopatuum, quatenus Epiſcopatus ſunt: vnde Hieronymus diſerte negat Romanum maiorem eſſe Eugubino. Sic, etſi mole corporis Polyphemus Vlyſſe maior fuerit, non tamen fuit magis homo. Hæc igitur inæqualitas, ſi qua eſt, referenda, non ad originis participationem, ſed ad ipſam partium inter ſe comparationem.

XXI Proinde cum Bellarminus aſſerit, à Petro, & Petri ſucceſſoribus eam teneri partem, quæ ſit velut caput, radix, & fons: nugatur. Imo non potuit manifeſtius contradicere Cypriano: qui ipſum Epiſcopatum vnum, qui caput eſt, & radix, & fons, vult à ſingulis in ſolidum teneri. Itaque bis peccat. Primo, quod eam partem dicat eſſe: deinde, quod ab vno quopiam teneri. Quod vtrumque longiſſime aberrat à Cypriani mente.

XXII. Inſtat Bellarminus: & Epiſcopatus, inquit, ſimilis eſt corpori heterogeneo, non homogeneo: ex quo ſequiter, vt non eodem modo teneant Epiſcopi ſinguli partem huius Epiſcopatus. Nam ſicut radix, licet ſit pars, vt etiam ramus, tamen ſuſtentat, & regit ramos: & omnia quæ ſunt in ramis, ſunt etiam virtualiter in radice, non è contrario: ita etiam, licet Eccleſia Romana, & Epiſcopatus Romanus, ſit pars Eccleſiæ vniuerſæ, & Epiſcopatus vniuerſalis, ſicut eſt Eccleſia Tuſculana, & eius Epiſcopatus, tamen Eccleſia Romana regit Tuſculanam, non contra.

XXIII. Reſpondeo. Primum nõ eſt Epiſcopatus inſtar corporis heterogenei, ſed homogenei, vel potius ὁμοιομερής. Nam quæcumque corpora ſunt heterogenea, eorum partes non participant totum in ſolidum: Nec enim oculus totam poſſidet, non tantum quantitatem, ſed ne naturam quidem corporis humani At aquæ guttula, ſola quantitate, non vero natura diſtinguitur à lacu vniuerſo. Cyprianus autem teſtatur quemlibet Epiſcopatum in ſolidum obtinere per partes Epiſcopatum vniuerſalem.

XXIV. Secundo, hæc partium heterogenearum comparatio eſt præter Cypriani mentem. Quia is Epiſcopatum, atque Eccleſiam in abſtracto conſiderat, diſtincte ab Eccleſiis particularibus: atque has omnes comparat ramis, non autem trunco, radicibuſve: at illam trunco, non ramis. Quid ergo Bellarminus cogitabat, cum Eccleſiam Romanam, partem Eccleſiæ vniuerſalis, ſiue illius Epiſcopatus magni, radicibus comparauit? Certe animum habuit in patinis, non in loco qui erat præ manibus. Deinde, etſi verum ſit inter ramos alios eſſe aliis maiores, minoreſue, tamen id nuſquam Cyprianus attingit, nedum vrgeat: Itaque otioſe conquiritur. Et cum id ille tantum conſideret, quod omnes ſint rami, eaque ſaltem ratione inter ſe æquales: etiam particulares Eccleſiæ intelligendæ ſunt à Cypriano inter ſe comparatæ, quatenus ſunt æquales.

XXV. Tertio, eadem comparatio eſt contra Cypriani mentem: quia cum is dixerit à ſingulis in ſolidum partem teneri, Bellarminus tamen dicit, non omnes partes eodem modo teneri: quæ duæ ſententiæ, ſi non ſunt contradictoriæ, ego me vehementer falli fatebor. Itaq;, ex ſententia Cypriani, recte colligitur, non tantum quod concedit Bellarminus, Papam Romanum non eſſe Epiſcopum omnium Eccleſiarum: ſed etiam, quod ille nolebat, nullo iure eum ſibi aliquid aſſumere in reliquos Epiſcopos, qui æquo iure, hoc eſt in ſolidum, cum eo ſint Epiſcopi.

XXVI. Sequuntur duæ ſolutiones, ſed obſcuriores, non tamen omittendæ. Vna: Oecumenicum Pontificem, ex eo quod ſit Epiſcopus, nihil quidem habere, iuris in reliquos: ſed præter Epiſcopatum, habere etiam primatum in omnes. Altera: Concedi cuilibet Epiſcopo ſuam eſſe attributam Eccleſiæ Catholicæ partem: nihil tamen obſtare, quominus vnus ſit omnium primus.

XXVII Contra, ad priorem, quæro, vtrum ſit is primatus, aliud quid ab Epiſcopatu, an non ſit. Nam ſi eſt quid aliud: primo, contradicitur Bellarmino: qui Epiſcopatum Romanum comparat radici, vt alios ab eo regi doceat. Secundo, quæram à quo, & quando ſit inſtitutus. Nam certe claues ad Epiſcopatum pertinent. Tertio, ſi præter Epiſcopatum conſtituitur hic Primatus, & quidẽ ſupra Epiſcopatum: ergo non erit Epiſcopatus ſummus in Eccleſia gradus, contra quã docuimus apud Veteres creditũ. Sin vero nõ ſit ab Epiſcopatu alien⁹ Primatus: ſed potius ab Epiſco-

pa-

patus Romani natura: ſic vt reliqui ſint tantũ Epiſcopi, ſed iſte Epiſcopus primus: ergo, proprio quodam iure Epiſcopus Romanus erit Epiſcopus: ac proinde reliqui non participabunt Epiſcopatum inſolidum cum eo: ſed ille tantum inſolidum ſolus habebit: reliqui non per partes, ſed per particulas. Quod nunquam Cyprianus admiſerit.

XXVIII. In altera non ſatisfit argumento: quia Cyprianus dixit, non tantum vnum eſſe Epiſcopatum, cuius a ſingulis pars teneatur: ſed etiam eam partem teneri inſolidum: quod ſignificat non tantum vnum aliquem non eſſe Epiſcopum omnium Eccleſiarum: ſed etiam reliquos omnes pari cum eo iure Epiſcopos eſſe Catholicæ Eccleſiæ. Itaque primatus intelligi nullus poteſt: non temporis, non ordinis, quem tamen vtrumque admittimus: Sed is non eſt, niſi accidens ad Epiſcopatum: ac proinde non poteſt contineri ſub ea participatione ſolidaria. Multo minus poteſtatis, quia contradiceret eidem participationi.

XXIX. Supereſt Turrianus Defenſionis aduerſus Sadeelem lib. 1. ca. 17. & 16. Is, primum negat à ſingulis Epiſcopis vnum Epiſcopatum teneri poſſe totum, id eſt, in ſolidum: hoc argumento: Iſte Epiſcopatus, quem Cyprianus dicit, habet partes, quarum vnaquæque pars ab vno quoque Epiſcopo tenetur. Quod ſi is, qui partem Epiſcopatus, qui vnus eſt, tenet, ipſum vnum Epiſcopatum inſolidum tenet: igitur totum non diſtinguitur à parte. At hoc fieri non poteſt. Deinde Cypriani mentem ſic explicat: Vt Epiſcopatum illum, quem vnum & indiuiſum vocat, Eccleſiam intelligat Catholicam ex multis Eccleſiis conſtantem, quarum ſingulis ſinguli Epiſcopi ſic præſidere debeant, vt Epiſcopatum ipſum vnum & indiuiſum maxime probent. Teneri autem à ſingulis inſolidum partem Epiſcopatus eſſe, vt ipſe ſolus, qui tenet, inſolidum redditurus ſit rationem partis, ſiue portionis ſibi adſcriptæ. Id probat, quia Epiſcopus ad Epiſcopatum refertur: ergo, portio gregis, quæ vnicuiq; adſcripta eſt, Epiſcopatus eius eſt. Sunt igitur in vna Eccleſia Catholica totidem Epiſcopi, quot Epiſcopatus. Deinde, ſicut multæ orationes ſunt vna συνδέσμῳ, ſic omnes Epiſcopatus, quum in vnum cohærent, vnus Epiſcopatus indiuiſus ſunt. Hæc Turrianus.

XXX. Reſpondeo ad argumentum, Conſequentiam eſſe falſam. Diſtinguitur enim totum in τὸ καθ᾽ ὅλου, & τὸ συνεχὲς, καὶ πεπερασμένον Quarti Metaph. 26. De poſteriori tantum vera poſſit eſſe conſequentia: neque enim pes poteſt eſſe totum corpus inſolidum: ſed tantum pars eius corporis. At de priore omnino falſa eſt: nam omnis ſpecies, pars eſt generis: & indiuiduum ſpeciei: & tamen totum genus eſt in ſpecie: totaquẽ ſpecies in indiuiduo: nec propterea non diſtinguitur genus à ſpecie: ſpecies ab indiuiduo. Epiſcopatus autem à Cypriano conſideratur, vt totum καθ᾽ ὅλου, non vt συνεχές. Itaque nihil obſtat, quominus ſecure dixerit a ſingulis per partes teneri inſolidum: nam ea natura eſt τοῦ καθ᾽ ὅλου.

XXXI Iam vero. Cypriani mentem quam fœde corrupit? Primo falſum, Epiſcopatum Eccleſiam vocare: & iam refutatum in Bellarmino. Secundo, teneri partem inſolidum, vnius Epiſcopatus, nego eſſe rationem reddi Deo eius partis. Nam id Cyprianus neque eo loco dixit: neque vt interpretaretur, multo ſimilius illud, *Vnum gregem paſcimus:* Et, *oues vniuerſas colligere, & fouere debemus.* Nempe, vt quilibet Epiſcopus, etſi ſuo gregi peculiariter affectus, tamen iure ſui Epiſcopatus vniuerſam Eccleſiam curare debeat: quomodo Paulus omnium ſibi ſolicitudinẽ dicebat incũbere. In probatione nego conſequentiam. Nam etſi Epiſcopus ad Epiſcopatum referatur, tamen non eſt verum, portionẽ gregis cuiq; adſcriptam eſſe ipſum Epiſcopatũ. Diſtinguendum .n. inter Epiſcopatum, & diœceſin: nã hæc eſt ſubiectum, in quo Epiſcopus ſuo Epiſcopatu fungitur. Sic Paulus, *Attendite totum gregem, in quo vos Spiritus poſuit Epiſcopos.* Act. 20. Sed nimirum deluſus eſt Turrianus Papiſtica conſuetudine, quæ Epiſcopatum ſolet pro diœceſi nominare. Falſum igitur totidem eſſe Epiſcopatus, quot Epiſcopos ex mente Cypriani, qui potius vnum dixit, & indiuiſum. Vnitatis autem rationem falſum eſt, eſſe ex συνδέσμῳ: non enim per partes teneretur inſolidum. Et quę ſic ſunt συνδέσμῳ vnum, non ipſa inter ſe vna ſunt: ſed in tertio. Sic ligna in faſciculo non ſunt vnum lignum, ſed vnus faſciculus: nec literæ in ſyllaba, vna litera, ſed vna ſyllaba: nec oues in grege, vna ouis, ſed vnus grex. At Epiſcopatus omnes ſunt Cypriano vnus Epiſcopatus, non aliud quid tertium.

XXXII. Atq; hactenus Cyprianus: cui addo Hieronymum epiſtola ad Euagrium, *Vbicumq; fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti, euſdem eſt & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* In quibus verbis hæc duo notanda. Primum, omnes Epiſcopos eiuſdem eſſe, non tantum ſacerdotij, ſed etiam meriti: quo verbo id omne, ſine dubio, ſignificatur, quod dignitatis vocabulo poteſt comprehendi, vt tantundem tribuendum oſtendatur vni, quantum alteri. Sacerdotiũ videtur additum, pro argumento; ac ſi eſſet dictum: Idem eſt Sacerdotium: ergo & meritum. Alterum: quod Epiſcopi non ſint alij aliis ſublimiores, vel inferiores: etſi locorum, quibus præficiuntur circumſtantiæ eiuſmodi eſſe queant, quæ alterum altero illuſtriorem efficiant. Valet autem argumentum: Si omnes Epiſcopi ſunt eiuſdem, vt ſacerdotii, ſic & meriti, nuliuſq; ſit alio ſublimior: Ergo nullus eſt Oecumenicus Põtifex. Hunc enim nulla ratio patitur eſſe non ſublimiorem, aut maioris meriti, Epiſcopis ipſis ſubiectis. Nec omittenda ſucceſſio Apoſtolorum. ſignificat enim, tam Epiſcopum Eugubinum, quam Romanum eſſe Apoſtolorum ſucceſſorem: vnde ſuperiora validiſſime confirmantur. Erant enim Apoſtoli, teſte Cypriano, id quod Petrus: pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis.

XXXIII Hic diſtinguunt omnes ordinem à iuriſdictione. Sed id Hayus pluribus explicat, Diſputationum lib. 1 c. 12 Hieronym. aſſerere, omnes eſſe eiuſdem meriti, & ſacerdotij. quia vnus non ſit magis Epiſcopus, quam alius: omnes enim eſſe ſucceſſores Apoſtolorum. Eſſe etiam verum, potentiam diuitiarum, & paupertatis humilitatem, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facere: ſed nihil haberi de poteſtate gubernandi Ecclebam: neque dicere Hieronymum, omnes Epiſcopos eiuſdem eſſe poteſtatis, & honoris: ſed paucis verbis eſſe loquutum de ordinis, non de iuriſdictionis poteſtate.

XXXIV. Sed contra Primo, ea ipſa, quæ Hieronymum dixiſſe concedit, abolent Oecumenici Pontificis gradum. Nam ſi ſunt omnes Epiſcopi eiuſdem ſacerdotij, ideoq; & meriti: neceſſario fatendum, aut non eſſe eiuſdem ſacerdotii cum cæteris hunc Oecumenicum, aut reliquos eſſe eiuſdem cum eo meriti. Et rurſus, ſi ſunt omnes Apoſtolorum ſucceſſores, verumque ſit (quod alias diligenter, & ſumunt, & vrgent Papiſtæ) ſucceſſores idem ius habere, cum iis quibus ſuccedunt: Ergo ſunt omnes Epiſcopi pares, & honore, & poteſtate, quia ſic olim Apoſtoli. Secundo, etſi iiſdem poteſtatis, & honoris vocabulis vſus non ſit Hieronymus, tamẽ pro iiſdem ſumſiſſe ſacerdotii, & meriti nomina: quorum priore ipſa in ſe ſignificatur miniſterii natura: altero, quicquid ad hoc ſacerdotium ſit conſequens. Itaque negat ex iure eius Eccleſiaſtici miniſterii, vllum Epiſcopum quicquam magis mereri, quam alium. Tertio, non eſſe alium; alio magis Epiſcopum. id quidem ſequitur ex Hieronymi verbis: ſed nõ id tantum. imo aliquid præterea Dixit enim omnes Epiſcopos eſſe eiuſdem etiam meriti: a quo vocabulo, tanquam à ſcopulo, in quem naufragium faciat, ſibi diligenter Hayus cauet.

XXXV. Porro non fuit adeo ineptus Hieronymus, vt ſacerdotium, ſiuẽ Epiſcopatum ſepararet à poteſtate regendi Eccleſiam: ſciebat enim vtrumque ordinatione diuina coniunctum, itaque ab homine non diſtrahendum. Act. 20 *Attendite vos ipſos, & totum gregem in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei.* In quem locum Caietanus, *Officij nomen eſt Epiſcopus: quod officium ſubiungit Paulus dicendo Regere Eccleſiam Dei.* Nam verbum ποιμαίνειν, hoc loco Vetus interpres reddidit *regere.* Quemadmodum igitur ab Imperii dignitate, ipſa Imperii regendi facultas: aut a magiſtratus ordine, ipſa iuris dicundi autoritas ſeparari nequit, ſic neque ab Epiſcopi officio, poteſtas gubernandæ Eccleſiæ. Nam & Epiſcopus Paſtor eſt: Paſtoris autem officium, aliud nullum, quam paſcere oues.

XXXVI. Ad ordinem, quod attinet, & iuriſdictionem, diſtinguo iuriſdictionem vt ſignificet, vel ipſam poteſtatis exercendę facultatem in abſtracto, vel concrete poteſtatem pro variis locorum circumſtantiis: & vno verbo pro diœceſi. Nã hoc ſenſu, fateor diſtingui ab ordine: quia qui Epiſcopus eſt, non poteſt ſuo fungi epiſcopatu vbique terrarum, ſed in ſua Eccleſia tantum. Verum hæc iuriſdictionis circumſcriptio non eſt Epiſcopatus natura, ſed accidens. At ſi abſtracte intelligas, pro autoritate vſurpandi omnes partes miniſterii paſtoralis, tum negamus ordinem diſtingui a iuriſdictione Porro Hieronymus vtro ſenſu loquutus ſit, facile eſt videre Non igitur concrete: quia concedit diſtinctionem diœceſium, Romanæ, Alexandrinæ, Eugubinæ: ſed abſtracte: quia in variis illis diœceſibus, idem ſacerdotium, idemque meritum conſtituat: vt ſenſus ſit, non maiorem eſſe Epiſcopo Romano, in ſua Romana diœceſi autoritatem, dignitatemve, quam Eugubino in ſua: quia æque Epiſcopus hic ſit Eugubinus, ac ille Romanus. Itaque æque vterque Oecumenicus, id eſt, neuter.

## CAP. XIII.

### *De Gregorii primi autoritatibus & ſententia.*

I. CYpriano, & Hieronymo ſubiicimus Gregorium eius nominis primum, Epiſcopum Romanum, acerrime inuehentem in Ioannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui ſe vniuerſalem volebat appellari, id eſt Oecumenicum Pontificem: ſibique eo iure omnes ſubiici totius orbis Epiſcopos. Ex cuius Epiſtolis, quæ ſequuntur, excerpta ſunt.

II. Libro quarto, epiſt. 32. ad Mauricium Auguſtum, *Non ſolus ego: ſed tota turbatur Eccleſia: quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti mandata, ſuperbi, atq; pompatici cuiuſdam ſermonis inuentione turbãtur. Sacerdotes, qui in pauimento, & cinere iacentes flere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt, & nouis ac prophanis vocabulis gloriãtur.* Et poſtea. *quis eſt iſte, qui contra ſtatuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum ſibi vſurpare nomen præſumit?* Rurſus, *Abſit à cordibus Chriſtianorum, nomen iſtud blaſphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno ſibi dementer arrogatur.* Item, *ille coercendus eſt, qui ſanctæ vniuerſali Eccleſiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine ſingularitatis appetit, qui honori quoq; imperij veſtri, ſe per priuatum vocabulum ſuperponit.* Epiſt 34. ad Conſtantiam Auguſtam, *Sunt quidam, qui indignos ſe omnibus hominibus fatentur: ſed priuatis vocabulis contenti eſſe non poſſunt, quia illud appetunt, vnde omnibus digniores eſſe videantur.* Qui tamen mihi corruptus locus videtur: nam quid illud eſt, *indignos omnibus hominibus?* Et illud, *priuatis vocabulis contenti vſſe non poſſunt?* In priore videtur reponendum, *communibus nominibus.* De poſteriore ἐπέχω Sed rurſus Gregorius, *Se noua præſumptione, atq; ſuperbia idem frater meus vniuerſalem Epiſcopum appellat.* Item, *Sed in hac eius ſuperbia, quid aliud, niſi propinqua iam Antichriſti eſſe tempora deſignantur? Quia illum videlicet imitatur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorum legionibus ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere? Vnde per Omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis veſtræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari: neque tam peruerſo vocabulo vllum aliquo modo præbeatis aſſenſum.*

III. Epiſtola 38. ad ipſum Ioannem, *Rogo, deprecor, & quanta poſſum dulcedine expoſco, vt fraternitas veſtra cunctis ſibi adulantibus, atq; erroris nomen deferentibus, contradicat, nec ſtulto, ac ſuperbo vocabulo appellari conſentiat.* Et poſt, *Quis, rogo, in hoc tam peruerſo vocabulo, niſi ille ad imitandum proponitur, qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis ad culmẽ conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur?* Iterum, *Scriptum eſt: Honore inuicem præuenientes: & tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicite deſideras ſingulariter vſurpare.* Epiſt 39. *In iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil eſt aliud quam fidem perdere.*

IV. Epiſtola 24. lib. 6. *In ſuſcipienda fratris, & conſacerdotis noſtri Cyriaci ſynodica Epiſtola dignum non fuit, vt pro cauſa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem ſanctæ Eccleſiæ perturbarem: ſed tamen de eodẽ ſuperſtitioſo, & ſuperbo vocabulo eum admonere ſtudui, dicens, quia pacem nobiſcum habere non poſſet, niſi elationem prædicti verbi corrigeret; quam primus apoſtata inuenit. Vos tamen eandem cauſam nullã eſſe, dicere non debetis: quia ſi hanc æquanimiter por-*

ter por-

*ter portamus, vniuerſæ Eccleſiæ fidem corrumpimus.* Et epiſt. 30. ad Mauriciũ Auguſtum, *Eundem fratrem, & conſacerdotem meum ſtudioſe admonere curaui, vt ſi habere pacem omnium, concordiamque deſiderat, ab ſtulti vocabuli ſe appellatione compeſcat.* Et poſt, *Ego autem fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit. Nec diſpari ſuperbia ad errorem ducitur: quia ſicut peruerſus ille, Deus videri vult ſuper oẽs homines, ita quiſquis iſte eſt, qui ſolus ſacerdos appellari appetit, ſuper cæteros ſacerdotes ſe extollit.*

V. Hæc collegiſſe ſufficiat: vnde non pauca ſuppeditantur argumenta. Primum, ſi Gregorii temporibus, qui poſt Chriſtum floruit annis fere ſexcentis vniuerſalis Epiſcopi, nouum erat nomen, nouum vocabulum, ex noua præſumptione, & ſuperbia: ergo antea incognitum Chriſtianæ Eccleſiæ: atque adeo ipſum munus, non à Chriſti, aut Apoſtolorum conſtitutione. Secundum; ſi vniuerſalis Epiſcopi nomen eſt vanum, prophanum, blaſphemum, peruerſum, ſtultum, ſuperbum, ſceleratum: ergo non tantum ex inſtitutione diuina: ſed ne humana quidem bona, aut vtili: nec vnquam in Eccleſiam inuehendum, aut inuectum recipiendum, aut receptum tolerandum. Tertium, ſi eſt contra ſtatuta Euangelica, & Canonum decreta: ergo à nemine vſurpandum. Quartum. Si eo nomine omniũ Sacerdotum honor adimitur, & fit iniuria ſanctæ vniuerſali Eccleſię: ergo nemo id ſibi debet arrogare. Quintum: ille coercendus eſt qui honori Imperatoris ſe ſuperponit: qui nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe vult. At huiuſmodi eſt, quicunque ſibi vniuerſalis Epiſcopi nomen aſſumit. Coercendus igitur. Sextum, Si is qui ſe in Eccleſia vniuerſalem nominat, & Satanam imitatur, & præcurſor eſt Antichriſti. Ergo non debuit in Eccleſia locum habere. Hæc & alia ſic poſſunt ex Gregorio concludi, aduerſus ſucceſſorum eius ſuperbam inſolentiam.

VI. Hoc Gregorii grauiſſimum, domeſticumque teſtimonium, vt eludant, nullum non lapidem mouent omnes, Sanderus lib. 7. de Monarchia Eccleſiæ: Ioannes Hayus diſputat. lib. 1. c. 13 Bellarminus lib. 2. de Pontifice, cap. 31 Franciſcus Agricola, cap. 6. & 16 Cæſar Baronius ad annum quingenteſimum nonageſimum quintum. Et alii. Quæcumque autem adferunt in duo capita recidunt, quæ nos ordine refutabimus.

VII. Primum igitur effugium, in diſtinctione perſonarum. Non enim ſimpliciter vniuerſalis Epiſcopi nomen à Gregorio traduci, ſed tantum Ioannis inſolentiam reprimi, qui ad ſe transferre conaretur id, quod iure tribuendum erat Epiſcopo Romano. Nullus enim hactenus (inquit Baronius) Orientalium Patriarcharum, ne Alexandrinus quidem ipſe, licet totius Orientis ſpiritualem præfecturam ſibi vendicaret, eo vſus eſt nomine. Et cum his ſenſiſſe videtur Platina, & Sabellicus, qui dicunt hoc argumento Gregorium vſum, Petro, & eius ſucceſſoribus Epiſcopis Romanis claues eſſe traditas à Chriſto, nõ Epiſcopis Conſtantinopolitanis.

VIII. Sed hoc vehementer eſt falſum: refutaturque facile his argumentis. Primum, Quod ſe diſerte neget Gregorius, aut vllum ſuorum prædeceſſorum tam profano vocabulo vti vnquam conſueuiſſe: imo ne velle quidem in poſterum conſentire: quia non ſit id aliud quã fidem perdere: quaſi diceret. ſi vllus Romanus Epiſcopus ſeſe Oecumenicum appellarit, is fidem perdet. Secundo: hoc ſcelesto vocabulo omnium Sacerdotum adimi honorem clamat: negari alios eſſe Patriarchas: quod non eſſet verum, ſi de ſuo tantum negotio ageret. Nihil enim obſtaret quominus æque perſeuerarent in dignitate Patriarchatus omnes, atque adeo ſingulis ſuus honor ſeruaretur, ſub Ioanne, ac ſub Gregorio, ſi tantum perſonæ mutatio fieret. Quemadmodum, cum Theſſalonicenſis, Syracuſanus, Corinthius, Rhegienſis, Neapolitanus, Athenienſis, Patrenſis, non magis erant Metropolitani, cum ſub Romano Epiſcopo agerent, quam cum tranſlati ſunt in ditionem Conſtantinopolitani, prout habetur in diſpoſitione facta per Imperatorem Leonem ſapientem, de ordine Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiectarum, quæ eſt in corpore iuris Græco Romani. Tertio, Si ſuum negotium ageret: atque eum titulum ad ſe pertinere aſſereret, non debebat in rem ipſam, imo ne quidem in ipſum nomen, ſed tantum in Ioannis perſonam inuehere. An poſſit enim quiſquam credere ſanum Gregorio cerebrum fuiſſe, ſic cauſam agenti? Vniuerſalis Epiſcopi nomen, ſtultum eſt, prophanum, blaſphemum, ſuperbum, vanum, peruerſum, denique ſceleſtum: ergo non pertinet ad Ioannem, ſed ad me? Rurſus. Quicumque ſe effert ſupra collegas ſuos, & vſurpat nomen ſingularitatis, & præfert ſe cæteris, & cæteros ſibi ſubiicere conatur, Luciferum imitatur, & eſt præcurſor Antichriſti. Ergo Ioannes non debet ea ſibi vendicare: ſed mihi ſoli permittere? Egregiam vero Dialecticam, & Oecumenico Pontifice digniſſimam! Sed fatendum eſt potius, Gregorium prorſus & abſolute damnaſſe ipſam eius faſtus introductionem in Eccleſiam.

IX. Secundum effugium ab ὁμωνυμίας diſtinctione, quæ pleriſque omnibus placuit. Dupliciter enim vniuerſalem Epiſcopum intelligi: vel pro eo, qui ſolus ſit, & vnicus Epiſcopus, ſic vt nulli præter ipſum Epiſcopi nomine vocari ſimiliter poſſint, & potius, vniuerſalis iſtius, ac vnici Epiſcopi, veluti miniſtri, & vicarii cenſeri poſſint, & debeant. Vel pro eo, qui non quidem vnus, & ſolus, ſed ſaltem præcipuus, & ſummus ſit Epiſcopus inter alios inferiores, habeatque curam totius Eccleſiæ, ſed generalem, ita vt non excludat particulares Epiſcopos, ſicut generalis aliquis miniſter, aut prouincialis vocatur, non qui ſolus, ſed qui principalis, & ſupremus ſit Miniſter, aut Prouincialis, inter alios Miniſtros, & Prouinciales, quos ſub ſe habet. Priore ergo ſenſu intelligendum Gregorium: itaque recte id nominis exſecrari, vt vanum, ſacrilegum, ſceleſtum. Altero autem, nunquam putaſſe damnandum Illo igitur Ioannem ſeſe vniuerſalem voluiſſe eſſe: at iſto tantum Romanum Epiſcopum ſibi ſumere.

X. At contra, dupliciter diſputo: Primo, Epiſcopum Romanum ſeſe Oecumenicum dicere priori ſenſu. Secundo, Gregorium exſecrari id nominis ſecundo ſenſu, multoque magis primo. Et quidem Epiſcopum Romanum fatemur nondum eo deueniſſe inſaniæ, vt omnibus Epiſcopis nomen adimeret, tanquam ſibi eximium: ſed quod proximum eſt, ſaltem reliquos omnes Epiſcopos pro miniſtris, & vicariis ſuis habet: qua re collit reuera, eius nominis quod eis dicis cauſſa concedit, rem ipſam, & ſubſtãtiam: cum proprie Epiſcopus ſit ſummus Sacerdos. Probatur, quia ad annum octingenteſimum ſexageſimum tertium, Eccleſia Gallicana querebatur à Nicolao Papa Epiſcopos appellatos eſſe ſuos clericos, in Annalibus à Pithœo editis, *Sciesque nos non tuos eſſe, vt te iactas, & extollis, clericos, quos vt fratres, & coepiſcopos recognoſcere, ſi elatio permitteret, debueras.* Rurſus, Concilium Cardinalium delectorũ à Paulo tertio, totidẽ literis Epiſcopos vocat miniſtros Papæ, *Sanctitas veſtra ita gerit curam Eccleſiæ Chriſti, vt miniſtros plurimos habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autẽ ſunt clerici omnes, quibus mandatus eſt cultus Dei, presbyteri præſertim, & maxime curati, & præ omnibus Epiſcopi.* Rurſus, poſt notatos abuſus circa beneficia, *His caſtigatis,* inquit, *quæ pertinẽt ad conſtituẽdos tibi miniſtros.* Et iterum, *Poſt hæc, quæ ad inſtituẽdos miniſtros tuos in hac vniuerſalis Eccleſiæ cura, & in eius deinde adminiſtratione ſpectare videntur.* Quod ſi ita eſt, quis non videat, ne hac quidẽ diſtinctione elabi Papas, quin feriantur Gregoriano fulmine?

XI. Pergo ad alterum membrum, & doceo Gregorium vniuerſalis nomine vti ſecundo ſenſu pro eo, qui non quidem velit præter ſe vllum eſſe, aut Epiſcopum, aut Patriarcham: ſed qui non excludens particulares Epiſcopos, omnibus ſeſe ſuperiorem diceret: quomodo hodie ſeſe Romanus oſtendat. Id probo his argumentis.

XII. Primum argumentum: Quia id reprehendit Gregorius, quod ſibi Ioannes arrogabat. At id nunquam ſibi Conſtantinopolitanus Patriarcha arrogauit, vt ſolus eſſet epiſcopus in toto orbe. Itaque, quicunque eius autoritatem agnouerunt, inque eius ditione fuerunt, ſuos ſemper titulos retinuerunt, tum epiſcoporum, tum Patriarcharum, atque adeo haud aliter ſalutabantur ab ipſo Conſtantinopolitano: vt videre eſt in Diſpoſitione Leonis Sapientis. Sic in corpore iuris Græco-Romani inuenias, Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ Ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, τῷ ἐν κυρίῳ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ, καὶ συλλειτουργῷ, τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολίτῃ Δυρραχίου, καὶ ὑπερτίμῳ, καὶ τῷ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ Διαβόλεως. *Ioãnes, miſeratione Dei, Archiepiſcopus Cõſtantinopolis nouæ Romæ, & vniuerſalis Patriarcha, dilecto in Domino fratri, & cõminiſtro, ſanctiſſimo, & honoratiſſimo Dyrrachij metropolitano: itemq; religioſiſſimo Epiſcopo Deabolis.* Audin' eundẽ ſeſe quidem vniuerſalem nominantem: & tamen non tantum ad Metropolitanum, Epiſcopumque ſcribentem: ſed etiam Metropolitanum appellantem συλλειτουργόν? Inuenies item acta nonnullarum Synodorum, quibus Conſtantinopolitanus præfuit, ita vniuerſalis titulo deſignatus, vt alij ſuis Patriarcharum, Metropolitanorum, Epiſcoporum, non fraudentur. In epiſtóla Patriarcharum ad Taraſium Conſtantinopol. *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Domino Taraſio Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, & vniuerſali Patriarchæ, Orientis ſummi Sacerdotes, & alij Sacerdotes in Domino ſalutem.* Sic Imperatores ad Conſtantinopolitanos Epiſcopos, non raro ſcribunt eodem Vniuerſalis nomine compellatos: multa tamen definientes de Epiſcoporũ electione, & iure. Iuſtinianus, Ἐπιφανίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ τῆς βασιλίδος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. In Nouellis, Ἡράκλειος καὶ Ἡράκλειος, νέος Κωνσταντῖνος, πιστοὶ ἐν Χριστῷ βασιλεῖς, Σεργίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ Ἀρχιεπισκόπῳ ταύτης τῆς εὐδαίμονος πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. In corpore iuris Græco-Romani.

XIII. Secundum argumentum: Varij, tum Epiſcopi, tum Patriarchæ eo Vniuerſalis titulo ſalutabant, tum epiſcopum Romanum, tum Conſtantinopolitanum. Nam Gregorium ipſum Eulogius Alexandrinus Patriarcha ſic vocabat: teſte ipſo Gregorio, *Ecce in præfatione epiſtolæ, quam ad me ipſum, qui prohibui, direxiſti, ſuperbæ appellationis verbum, vniuerſalem me Papam dicens, imprimere curaſti.* De Conſtantinopolitano teſtis eſt Theodorus Balſamon in meditato, ſiue reſponſo de Patriarcharum priuilegiis in iure Græco-Romano, τὰς οἰκείας ὑπογραφὰς ὡς οἰκουμενικὸς οὐ μεγαθύνει πατήρ, κἂν παρ' ἡμῶν οὕτω κέκληται, καὶ δεδόξασται, *Subſcriptiones ſuas non facit magnificas tanquam Pater vniuerſalis, licet à nobis ita vocetur, & celebretur.* Quis autem veriſimile putet, aut Eulogium, aut Balſamonẽ, voluiſſe ſpoliare ſeipſos propria dignitate: & ſic, aut ad Gregorium, aut ad Conſtantinopolitanum ſcribere, vt ſe negarent eſſe Patriarchas? Imo ſic ſubiici Conſtantinopolitano, vt reliqui Romano. Baſilius Achridenus ad Adrianum Romanum Papam. τὰ αὐτὰ σοὶ πρεσβεύομεν, καὶ διδάσκομεν ἐγώ τε καὶ πάντες οἱ τοῦ μεγάλου, καὶ ἀποστολικοῦ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως θρόνου. *Eadem tecum prædicamus, & docemus, tum ego, tum omnes, qui ad magnam Apoſtolicamque ſedem Conſtantinopolitanam pertinemus,* καὶ ὁ αὐτὸς ἀμνὸς θύεται, ἔν τε τοῖς κατὰ δύσιν ἀρχιερεῦσι τοῖς ὑπὸ τὴν σὴν τελοῦσι κορυφαίαν ἀκρότητα, καὶ ἡμῖν τοῖς ἐξ ἡλίου ἀνίσχοντος τοῦ ὑψηλοῦ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως θρόνου δεχομένοις, τὰς τῆς ἱερωσύνης αὐγάς. *Et idẽ ſacrificatur Agnus inter Occidentales Antiſtites, qui ſub tuo principali culmine degunt. & nos, qui ad orientẽ ſolem à ſublimi Cõſtantinopolitana ſede Sacerdotij accipimus ſplendorem.* Erant ergo ſub Cõſtantinopolitani ditione Archiepiſcopi, & Epiſcopi, æq; ac ſub Romani: & tum, cũ ſe Oecumenicum vocitabat. Calumniãtur itaq; qui eum aſſerunt voluiſſe ſolum eſſe Epiſcopũ.

XIV. Tertium argumentum: Rem hoc nomine ſignificatam Gregorius his definiebat circũſtantiis, *Illud appetunt, vnde omnib. digniores eſſe videãtur, illã imitãtur, qui ſpretis in ſociali gaudio Angelorũ legionibus, ad culmẽ conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur. Qui honori quoque imperij ſe ſuperponit.* Item epiſt. 38. libr. 4. *Tu quid Chriſto, vniuerſalis ſcilicet Eccleſiæ capiti, in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuerſalis appellatione ſupponere?* Ex quibus Gregorij verbis ita liceat Oecumenicum deſcribere, vt ſit is, qui omnibus dignior appareat, nulli ſubſit, omnibus præſit ſolus: Imperatori ſeipſum præponat, & omnia Chriſti membra ſibi ſubiiciat. In quibus, ſi quicquam ſit, quod non aduerſarii diſertis verbis ſuo tribuant Oecumenico, aſſentiar Gregorij autoritatem à nobis non oportune citatam.

XV. Quartum argumentum: Sabellicus Eneade 8. libr. 5. ſic habet, *Ioannes Conſtantinopolitanus Antiſtes, frequenti Synodo, ſe Oecumenicum, id eſt, cæterorum Antiſtitum Patriarcham renunciauit: cuius ſtultitiam ſtultus Princeps ſequutus, ad Gregorium ſcripſit, vt Ioanni obtemperaret. Ad eum conſtanter Romanus Pontifex reſcripſit, ligãdi abſoluẽdique poteſtatẽ Petro, & qui illi ſucceſſiſſent, nõ Conſtantinopolitano traditã.* Et iiſdẽ pene verbis Platina in Gregorio, *Cũ Ioãnes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, habita Græcorũ Synodo, ſeipſũ Oecumenicũ, id eſt, vniuerſalẽ Patriarcham creaſſet monuiſſetque Gregorium*

*rium Mauritius, vt Ioanni obtemperaret, reſpondit homo conſtantis ingenij, & fidei poteſtatem ligandi, & ſoluendi Petro traditam, eiuſque ſucceſſoribus, non Epiſcopis Conſtantinopolitanis.* Hæc illi: qui etſi falſi poſſint argui, quod aſſerunt hoc argumento pugnaſſe Gregorium, quod Petro, non Conſtantinopolitano poteſtas eſſet data ſoluendi, & ligandi: (id enim nunquam Gregorius fecit: quin potius ita ſe geſſit, vt aut reuera noluerit, aut ſaltem nolle ſe finxerit cauſam ſuam propriam agere) tamen quo ſenſu hunc vniuerſalem intelligere debeamus, docent: Eruunt enim id argumentum è ſui ſeculi conſuetudine, quæ illam ligandi, ſoluendique poteſtatem exiſtimabat eſſe ius illud Oecumenicum. Quare, ex eorum ſententia Ioannes id ſibi arrogabat, quod erat Romani Epiſcopi. Oportet igitur, aut Romanum Epiſcopum, ſic eſſe vniuerſalem, vt nullus præter eum ſit Epiſcopus: aut Ioannem, cum id nominis ſibi ſumpſit, non affectaſſe: vt vnicus videretur. Tum etiam dilucida ſunt Sabellici verba, vniuerſalem Patriarcham exponentis, eum, qui eſſet cæterorum Antiſtitum Patriarcha, cuiq; eam ob cauſam ceteri obtemperarent.

XVI. Quintum argumentum: Pomponius Lætus in Phoca, *Vnum porro ſanxit, quod laudem meruit, hoc eſt, Vrbem Romam totius ſalutaris vitæ caput eſſe, quum antea propter ſedem Principis Conſtantinopolis haberetur.* Platina in Bonifacio, qui interiecto tantum Sabiniano annis non integris duobus, Gregorio ſucceſſit, *Bonifacius tertius, patria Romanus, à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione vt ſedes beati Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur, & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Conſtantinopolitana ſibi vindicare conabatur, fauentibus interdum malis principibus, affirmantibuſque eo loci primam ſedem eſſe debere, vbi Imperij caput eſſet.* Sabellicus Enneadis 8. lib. 6. *Egit is,* (Bonifacium intelligit) *ab initio ſuæ adminiſtrationis cum Phoca, vt Romana Eccleſia eſſet omnium aliarum caput: eſtq; id ægre, nec ſine multa contentione, Apoſtolicæ ſedi datum. Græci id ad ſe decus trahentes, ibi Chriſtianæ pietatis arcem oportere eſſe aiebant, vbi Imperij caput eſſet.* Blondus Decadis 1. libr. 9. Bonifacius, *Inſolentiam Conſtantinopolitani Patriarchæ Oecumenicum ſe, prout beati Gregorij temporibus cœperat, appellantis, compeſcuit: Phocas etenim ipſius Pontificis ſuaſione, publica, & ad vniuerſum orbem Chriſtianum dimiſſa ſanctione, conſtituit, vt Romanæ Eccleſiæ, Romanoque Pontifici omnes orbis Eccleſiæ obedirent.* Nauclerus Generatione 21. *Bonifacius inſolentiam Patriarchæ Conſtantinopolitani, οἰκουμενικὸν ſe appellantis, compeſcuit. Phocas enim Pontificis ſuaſione, publica, ac ad vniuerſum orbem dimiſſa ſanctione, conſtituit, vt Romanæ Eccleſiæ, Romanoque Pontifici, omnes orbis Eccleſiæ obedirent, quod retroactis temporibus non ad vnguem ſeruabatur, maxime à Græcis aſſerentibus eo loci primam ſedem eſſe debere, vbi eſſet caput Imperij.* Ex quibus autoribus patet: primum, hoc inter eos duos Epiſcopos certamen fuiſſe, non vter ſolus in orbe Epiſcopus remaneret: ſed vter eſſet caput omnium Eccleſiarum, ſiue Princeps omnium Pontificum: itaque, eundem cenſeri Principem Pontificum, Caput Eccleſiarum, & Oecumenicum. Secundo, id ipſum quod ſibi Conſtantinopolitanus arrogabat, fuiſſe tributum Romano. Quod & Baronius cognoſcens, *Quid ergo,* inquit, *ſuo edicto contulit Romanæ Eccleſiæ Phocas? Nihil plane: niſi quod declararit ſua ſententia, indebite vſurpari ab Epiſcopo Conſtantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romanæ duntaxat deberetur Eccleſiæ.* Annalium tomo 8. anno ſexcenteſimo ſexto. Itaque neceſſe eſſe, Romanum dici Vniuerſalem, eodem ſenſu, quo ſe Conſtantinopolitanus iactabat: omnibus probris ob id exceptus à Gregorio. Quod indicauit magni nominis noſtro æuo Auguſtus Thuanus Hiſtoriarum libro 67. Phocas Bonifacio tertio, *inſignes Epiſcopi vniuerſalis titulos, quos nuper Gregorius in Ioanne Conſtantinopolitano improbauerat, prolixe attribuit.*

XVII. Hæc quanquam ita ſint, tamen quatuor obiectionibus contra pugnant. Prima inſtantia Sanderi: Vniuerſalis ab vniuerſo nomen ſortitur. Vniuerſum autem, tum continet in ſe vim, & poteſtatem eius quod vnum eſt: & præterea, aliud quiddam ſignificat. Quæ verba, quantulum abſunt à ridiculo? Sed in hoc alio inquirendo nihil illo intricatius. Proprie, inquit, vnicum ſignificat: improprie autem primum. Iam Conſtantinopolitanus ſeſe non vt primum gerebat: nam, teſte Gregorio libri 7. Epiſtola 64. ſeipſum dicebat ſedi Apoſtolicæ ſubiici: Ergo vt ſolum.

XVIII. Reſpondeo: hoc vniuerſale Latinum nomen, non reſpondere Græco, Catholico: ſed potius Oecumenico. Nam iſto ſe, non illo Ioannes venditabat. Gregorius Epiſtola 39. libri 4. *Se per omnem verſum οἰκουμενικὸν Patriarchã nominat.* Quo nomine ſignificatur is, qui Patriarcha ſit πάσης τῆς οἰκουμένης, totius orbis. Quomodo Oecumenica Synodus, ex toto orbe. Porro Conſtantinopolitanos, non eo ſenſu vſos eſſe, vt ſeſe vnicos, aut ſolos dicerent, ſed tantum primos. Amplius dico; non tantum non ſolos: ſed ne primos quidẽ: tantum in primis. Etenim id nominis non ſibi ſoli peculiariter aſſerebant: ſed vſurpabant tanquam commune quinque Patriarchis; qui in Trullenſi Synodo numerati fuere: ἐκ τότε, καὶ μέχρι τοῦ νῦν οἱ τῶν πέντε τούτων ἁγιωτάτων θρόνων μεγάλοι ἀρχιερεῖς, οὕτω κατὰ τὴν οἰκουμένην σεβάζονται, inquit Theodorus Balſamon, in Reſponſo de Patriarcharum priuilegiis, *Ab eo tempore, & deinceps, magni Pontifices, quinque ſanctiſſimarum ſedium, ſic per vniuerſum orbem honorantur.* Illud ſaltem certum ab eodem Balſamone eodem reſponſo id Oecumenici nomen permitti etiam Romano.

XIX. Enimuero, quid in mentem venit Sandero, vt exiſtimaret Conſtantinopolitanum, eum qui ſe Oecumenicum appellabat, fateri ſe ſubiici Romano? At contra Gregorius hoc vel maxime in eo reprehendit, quod & nulli ſubeſſe, & omnibus præeſſe vellet. Et ſane ridiculus error eius, qui in ea epiſtola Byzanceoum primatem interpretetur Conſtantinopolitanum antiſtitem. Pudenda ignoratio. Cum Byzancenus, vel potius Byzacenus, primas fuerit in Africa, longe diſtans à Thracia, vbi Conſtantinopolis: quæ olim quidem Byzantium fuit: ſed ab eo nomine Byzantinus fit, non autem Byzancenus. Ergo hic Byzancenus in Africa; id eſt, primas prouinciæ Byzacenæ, agnouit ſe ſubiici Romano; at nunquam Thrax Byzantinus. Quanquam tum Byzantij, tum Byzantini, nomen iampridem ante tempora Gregorij erat obliteratum; inducto Conſtantinopoleos, & Conſtantinopolitani titulo. Illud vero quis concipiet, voluiſſe Conſtantinopolitanum, haberi ſolum Epiſcopum, & tamen agnouiſſe ſe ſubiici Romano? Nam hoc ego ſane concoquere non poſſum.

XX. Secunda obiectio, Ex his Gregorii verbis. Epiſtola 34. ad Conſtantiam, lib. 4. *Triſte valde eſt, vt patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus, ſupradictus frater, & coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Et 36. ad Eulogium, *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et libri 7. 69. ad Euſebium, *Si vnus vniuerſalis eſt, reſtat, vt vos Epiſcopi non ſitis.* Hinc conficiunt Gregorium oppugnaſſe vniuerſalem Epiſcopum, hoc ſenſu, quod nullus præter eum Epiſcopus eſſet.

XXI. Reſpondeo: ea non proferri à Gregorio quaſi à Ioanne aſſeuerata: ſed tanquam incommoda ab eo nomine orientia. Non vt dicat ſic, aut eo ſenſu ſeſe illum Oecumenicum appellare, quaſi nullum vellet præter ſe Epiſcopum eſſe: ſed potius contra; quia nolit ſe eſſe ſolum Epiſcopum, ideo non eſſe id nomen aſſumendum. Itaque argumentum eſt vtrinque concedendum, quo demonſtretur quæſtio. Enimuero quis neſcit non probari à reſpondente omnia incommoda quibus theſis oppugnatur? Cyprianus eis qui negabant, baptiſatos ab hæreticis rurſus baptizandos, obiiciebat, conſequens vt Eccleſiam faterentur eſſe apud hæreticos: quod tamen Catholicorum nemo admittebat. Recte autem Gregorius argumentabatur ex vi ipſius nominis. Nam quia Epiſcopi munus ex ſua inſtitutione perſonale eſt; nemo ſe vere poteſt vniuerſalem Epiſcopum dicere, qui non habeat ipſe per ſe ſingularum Eccleſiarum curam eam, quã Epiſcopum habere oportet. Id vero non attendebat Ioannes, tantum volebat ad ſingularitatis culmen erumpere: id eſt, ad eum gradum aſcendere, in quo nullum collegam haberet. Quemadmodum autem non fuit neceſſe vt Lucifer, cum ſe præferri volebat omnibus Angelis, reliquos omnes Angelos, Angelorum & gradu & nomine priuaret, ſic nec Ioannem oportuit, vt ſe vniuerſalem diceret, nullum relinquere ſub ſe Epiſcopum.

XXII. Tertia obiectio. Quo ſenſu vniuerſalis Epiſcopus is eſt, qui habet curam totius Eccleſiæ; nomen hoc tribui poſſe Romano Gregorius cenſuit: quod probatur tribus argumentis. Primo, quia fatetur lib. 4. Epiſtola 32. & aliis ſeqq. id nomen tributum Romano Epiſcopo à Concilio Chalcedonenſi, quod ſanctum & Catholicum fuiſſe idem Gregorius paſſim docet. Exiſtimauit igitur in aliquo ſenſu hoc nomen Romano Pontifici conuenire. Secundo: idem eadem Epiſtola, aſſerit Petro totius Eccleſiæ curam eſſe commiſſam à Domino; quod eſt idem, ac ſi diceret, Petrum eſſe vniuerſalem Epiſcopum à Domino conſtitutum. Tertio: Quia Romani Pontifices, etſi nunquam vocarunt ſe vniuerſales Epiſcopos: tamen ſæpe vocarunt ſe Epiſcopos Eccleſiæ vniuerſalis. Sixtus primus Epiſtola ſecunda: Victor prima: Ex Epiſtola Pontiani: ex Stephani primi ſecunda: ex Leonis primi 54. 62. 65. Quæ teſtimonia ſine dubio Gregorius legerat: nec ignorabat, idem eſſe, quoad ſenſum, Epiſcopum Eccleſiæ vniuerſalis, & Epiſcopum vniuerſalem.

XXIII. Reſpondeo: falſum eſt vllo ſenſu, Gregorium concedere illud nomen tribuendum Epiſcopo Romano. Ad primum argumentum: dico Gregorium profiteri quidem ſuis prædeceſſoribus oblatum id nominis, ſed tamen non exiſtimaſſe aliquo ſenſu conuenire Romano. Probatur, primo, quia teſtatur non acceptum fuiſſe: ſecundo, quia id ipſum ipſe improbat iiſdem argumentis, quibus Ioannem vrget. Sic enim Epiſtola 32. libr. 4 *Sed nullus eorum vnquam hoc ſingularitatis vocabulum aſſumſit, nec vti conſenſit. ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito ſacerdotes priuarentur vniuerſi.* Et diſertius Epiſtola 80. *Sicut enim veneranda veſtra ſanctitas nouit, per ſanctam Chalcedonenſem Synodum pontifici ſedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente ſeruio, hoc vniuerſitatis nomen oblatum eſt. Sed nullus vnquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti conſueuit, quia videlicet, ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et libri 7. Epiſtola 30. Indictionis 1. *Et quidem in ſancta Chalcedonenſi Synodo, atque poſtea ſubſequentibus Patribus, hoc deceſſoribus meis oblatum veſtra ſanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem ſacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum.* Hinc conſtat idipſum vocabulum, quod Papæ Romano offerebatur, à Gregorio fuiſſe prophanum appellatum: & improbatum, ob ſingularitatem, & reliquis honorem derogatum. Atqui non aliter contra Ioannem egit. Itaque non credidit eiuſdem vocabuli, diuerſos eſſe ſenſus, mutatis duntaxat perſonis. Credidit potius eadem abſurda ſequi in Epiſcopo Romano, quæ in Conſtantinopolitano, hoc eſt, tam negari cæteris Patriarchis ſuum honorem, cum ipſe Gregorius, quam cum Ioannes vocaretur vniuerſalis. Etſi vero Synodum Chalcedonenſem ſanctam appellet, tamen diſerte aſſerit, hoc ipſum nomen nihilominus fuiſſe prophanum.

XXIV. Quanquam oblatum fuiſſe Romano Epiſcopo id nominis à Synodo Chalcedonenſi falſum, vt appareat Gregorium hic ſibi nonnihil indulſiſſe præter veritatem. Nullum enim decretum proferri poteſt: nullum ſcriptum publicum: adeo vt Baronius ad annum quadringenteſimum quinquageſimum primum, cogatur ſuſpicari librarii fraudem. Sed hac de re plenius acturi ſumus alias.

XXV. Ad ſecundum: Nego idem eſſe Petro curam demandari totius Eccleſiæ, & Petrum eſſe vniuerſalem. Ipſe Gregorius: *Cura ei totius Eccleſiæ, & principatus committitur, & tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.* Sic egregie diſcreuit alterum ab altero. Enimuero, ſi idem eſt vtrumq;, cur alterum reſpuit? Manifeſta fuiſſet inſania.

XXVI. Ad tertium: Nego idem eſſe vniuerſalem Epiſcopum, & vniuerſali Eccleſiæ Epiſcopum. Quia illud quidem ſignificat Oecumenicum Patriarcham, vt ipſe Gregorius teſtatur; hoc eſt omnium Antiſtitum Patriarcham, vt expoſuit Sabellicus: Hoc vero, cum indicat, qui vnus ſit ex Epiſcopis in Eccleſia Catholica: atque adeo qui præſit vni Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non hæreticæ. Proinde non ſolus Romanus ita ſolebat appellari, ſed omnes eius collegæ, vt manifeſtum ex his locis. In Canonibus Carthaginenſis Concilii Græce editis canone 94. exſtat forma congreſſionis cum Donatiſtis, in qua hæc legas. Ἐπίσκοπος τῆς

Καθολι-

Καθολικῆς ἐκκλησίας εἶπεν. Sic in geſtis Collationis Carthagini habitæ Honorii Cæſaris iuſſu, ſubinde hæc occurrunt, *Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ: Fortunatianus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus: Auguſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ.* Sozomenus, libro octauo, capite primo, aſſerit Siſinnium Nouatianorum Epiſcopum, Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis gratum fuiſſe. Epiphanius hæreſi 61. de Photino hæreſiarcha; Ἐπίσκοπος γέγονε τῆς ἁγίας Καθολικῆς ἐκκλησίας: *Factus eſt Epiſcopus ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ.* Et potuerunt ſane hoc modo vniuerſales Epiſcopi dici, id eſt, Catholici: vt in Actis Synodi Epheſinæ Celeſtinus ſcribens ad Neſtorium, vocat Atticum Conſtantinopolitanum Ἐπίσκοπον Καθολικόν. Et ad Conſtantinopolitanos, meminit τῶν ἱερέων Καθολικῶν.

XXVII. Vt autem magis pateat, quo ſenſu Romani Epiſcopi, ſeſe Eccleſiæ Catholicæ dicerent Epiſcopos, addebant plerunque nomen vrbis. Damaſus ad Stephanum Archiepiſcopum, ſic habet: *Damaſus ſeruus ſeruorum Dei, atque per gratiam eius, Epiſcopus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ vrbis Romæ.* Quemadmodum in geſtis collationis Carthaginenſis, *Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Carthaginenſis.* Sozomenus lib. 2. c. 24. Callinicum vocat *Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt in Peluſio.* Concilium Nicænum apud Socratem lib. 1. c. 6. nominat *Epiſcopos Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui ſub Alexandro erant.* Epiphanius in Meletianis, eos ſic aſſerit vocatos: ἀπὸ Μελητίου τινὸς Ἐπισκόπου ἐν τῇ Τιβεριάδι γενομένου τῆς Καθολικῆς ἐκκλησίας: *à Meletio quodam facto in Tiberiade Epiſcopo vniuerſalis Eccleſiæ.*

XXVIII. Ex his igitur exemplis conſtat omnes dici poſſe Eccleſiæ Catholicæ, ſiue vniuerſalis, Epiſcopos, qui præſunt vni alicui Eccleſiæ, quæ non ſit hæretica. Hoc autem ſenſu, is dicitur Ἐπίσκοπος Καθολικός. *At quo ſenſu offendebatur Gregorius, dicebatur* Ἐπίσκοπος Οἰκουμενικός. Illud nomen antiquum eſt, & longe ante Gregorii tempora vſurpatum. Hoc vero nouum, & vix affectatum ante Ioannis Conſtantinopolitani tempora: quem propterea Gregorius accuſat nouæ ſuperbiæ, & præſumptionis, & noui nominis inuecti. Ad hæc cum Gregorius negaret vllos ſuos deceſſores vſos eſſe hoc *vniuerſalis*, nomine: & legiſſet tamen, vt nos cum Bellarmino fatemur, plures ſe inſcripſiſſe Epiſcopos vniuerſalis Eccleſiæ: neceſſe eſt Gregorium, aut inſigniter mentitum, aut non putaſſe vtrumque idem eſſe, quod eſt verius.

XXIX. Quarta obiectio: Gregorius vſus eſt eo iure, quod eſt vniuerſalis Epiſcopi, & agnouit etiam ſuos prædeceſſores vſos. Nam & Romanum Pontificem dicit Conſtantinopolitanæ Synodi acta reſcidiſſe, & Conſtantinopolitanum ne rem diuinam faceret, prohibuiſſe. Hęc Hayus. Sanderus addit, exercuiſſe Primatum in Eccleſias, Italiæ, Siciliæ, Corſicę, Sardiniæ, Africæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, Dalmatiæ, Græciæ, Corcyræ.

XXX. Reſpondeo: multa quidem feciſſe, quæ excederent vnius Epiſcopi fines, pro more non tantum quorundam, quibus ſucceſſerat, ſed etiam Patriarcharum qui inter ſe orbem vniuerſum diſtribuerant. Sed primum nego attendendum quid fecerit ex præſcriptione peruerſæ conſuetudinis: ſed quid potius docuerit conforme autoritati Scripturarum. Ex doctrina enim mores corrigendi ſunt ſemper: non ex moribus doctrina corrumpenda.

XXXI. Deinde nego Gregorium geſſiſſe ſe pro Oecumenico: vt enim cætera omnia concederentur; tamen non prætulit ſe Imperatori, quod tamen ipſe notauit neceſſario ſequi. Contra non poteſt humilius, abiectiuſve ad Imperatorem ſcribi, quam is ſcripſit; eius ſe dicens ſereniſſimis iuſſionibus obedientiam præbere, Epiſt. 32. lib. 1.

XXXII. Ad Hayi exempla reſpondeo: Conſtantinopolitani Concilii acta caſſata, non arguere Oecumenicum: qua de re latius diſputaturi ſumus alias. Gregorium autem prohibuiſſe, ne Ioannes rem diuinam faceret, prorſus non legit Hayus; ſed à ſeipſo commentus eſt. Hoc tantum Gregorius ſcriptum reliquit Epiſtola trigeſima octaua libri quarti: Pelagium prohibuiſſe Diaconum, quem iuxta morem ad veſtigia Dominorum tranſmiſerat, Miſſarum ſolennia celebrare, cum Ioanne. Quod quantum abeſt, quæſo, ab eo quod Hayus aſſerebat? Non enim Ioannem prohibuit Miſſarum ſolennia celebrare: ſed ſuum Diaconum ne cum eo celebraret, quod erat negatæ communionis indicium, ſatis frequens tum temporis, atque adeo ab aliis Epiſcopis ſæpe vſurpatum: Sed & quas prouincias Sanderus enumerauit; eæ pertinent ad diſtributionem Eccleſiarum; in varios Patriarchas. Nam & Conſtantinopolitani, plurima ſimilia obſerues geſta in ſuis prouinciis; vt videre eſt in Corpore Iuris Græco-Romani.

*FINIS LIBRI DECIMI.*

# LIBER VNDECIMVS,

# DE OECVMENICO, VTRVM PETRVS FVERIT PONTIFEX OECVMENICVS.

## Caput I.

### *STATVS QVÆSTIONIS.*

ET THESIS quidem de Oecumenico Pontifice hactenus tractata eſto. Quæ potuit futuris Controuerſiis anſam præcidere. Nam ſi nullum Chriſtus inſtituit ſummum, vel potius Oecumenicum Pontificem, cui omnium Eccleſiarum ſic curam traderet: vt etiam Paſtores omnes eius autoritati ſubiiceret: tum quis non videt, fruſtra deueniri ad hypotheſin, & inquiri quis is ſit, qui hac tanta autoritate vtatur, fruatur? Sed enim quia multa proferunt adhuc aduerſarii ad hanc hypotheſin confirmandam; atque hinc præſcribunt etiam contra theſin: ne (vt ſolent etiam ex minima occaſione magnos triumphos captare, & ſibi plauſus excitare) calumnientur nos ea argumenta diſſimulare, quæ ſoluere non poſſimus: neceſſe eſt hanc etiam partem non abire intactam.

II. Habet autem hæc hypotheſis partes duas. In priori quæritur, de primo Oecumenico Pontifice, quem à Chriſto collocatum Papiſtæ volunt in hoc tam excelſo ſolio. In altera, de eius primi ſucceſſoribus, ad hoc vſque tempus. Et in priori quidem diſerta eſt Papiſtarum aſſertio, Petrum Apoſtolum cæteris omnibus Apoſtolis prælatum, à Chriſto plenam ſummamque adminiſtrandæ Eccleſiæ autoritatem accepiſſe; atque adeo inſtitutum fuiſſe Pontificem Oecumenicum. Cui aſſertioni omnes Catholici conſtanter contradicunt. Caluinus Inſtitutionis lib. 4. cap. 6. Sadeel contra Turrianum loco 2. 3. 4. Iuellus contra Hardingum artic 4. Matthæus Sutliuius de Pontifice Romano lib 2. Witakerus de Pontifice Romano, quæſt. 2. Danæus, Iunius, Tilenus in Bellarminum, ad hanc controuerſiam. Sibrandus de Pontifice lib. 2. & 3. Riuetus Catholici Orthodoxi, tract. 2. quæſt. 4. Marcus Antonius de Dominis, libro 1. de Eccleſiaſtica Republica.

III. Papiſtæ: Bellarminus de Pontifice, libr. 1. cap. 10. & ſequent. Franciſcus Cordubenſis Annotationibus de Eccleſia artic. 2. cap. 110. & proximis duobus. Canus locorum communium lib. 6. ca. 3. propoſit. 1. Pighius Monarchiæ libr. 3. à capite 2. vſque ad 11. Gregorius de Valentia Analyſeos libr. 7. Et Commentariorum in Thomam tomo 3. diſputat. 1. quæſt. 1. punct. 7. quæſt. 5. Polus de Vnitate Eccleſiæ, lib. 2. Turrianus pro Epiſtolis Decretalibus libr. 2. cap. 4. & ſeqq. Stapletonus toto libr. 6. de Principiis: & in Relectione Controuerſiæ Capitalis 3. quæſt. 1. Ioannes Eckius libris tribus de Primatu Petri. Arboreus Theoſophiæ libr. 1. cap. 25. Petrus Auratus Paradoxo 70. Franciſcus Agricola, tractatu de Primatu Petri. Et his antiquiores Ioannes de Turrecremata, de Eccleſia lib. 2. c. 5. & ſeqq. Thomas Waldenſis Doctrinalis tom. 1. lib. 2. art 1.

## CAP. II.

### *Petram Eccleſiæ, non eſſe Petrum.*

I. PEtra, ſuper quam Chriſtus pollicetur ſe ædificaturum ſuam Eccleſiam, eſt Oecumenicus Pontifex. At Petrus Apoſtolus, erat ea petra. Ergo Petrus Apoſtolus fuit Oecumenicus Pontifex. Aſſumptio probatur ex Matthæi 16. *Ieſus interrogauit diſcipulos ſuos, dicens, Quem me dicunt homines eſſe, Filium hominis? Illi vero dixerunt: alij quidem Ioannem Baptiſtam, alij vero Eliam, alii vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Dicit eis: Vos autẽ, quem me dicitis eſſe? Reſpondens vero Simon Petrus, dixit, Tu es Chriſtus ille, Filius Dei viuentis. Tunc reſpondens Ieſus, dixit ei: Beatus es, Simon Bar-jona: quia caro & ſanguis hæc non retexit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Sed & ego dico tibi, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferorum non ſuperabunt eam.*

II. Argumentum eſt apud aduerſarios decantatiſſimum. Catholici autem reſpondent: primo ad Minorem: ſecundo ad Maiorem. Ergo negatur Minor. Quia, cum nominauit Chriſtus Petram, non intellexit Apoſtolum, qui deinceps appellatus eſt Petrus. Quod multis argumentis doceo.

III. Primum eſto, ex ipſo contextu: quia ſenſum Chriſti his verbis Euangeliſta voluit expreſſum: σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:* quibus diſerte Petrus diſtinguitur à petra, cum perſona, tum genere: quod eſſet abſurdum, ſi de vno Petro vtrumque membrum eſſet intelligendum. Debuerat ſane potius dici, Tu es Petrus, & ſuper te Petro, ædificabo. Et vero nullum poteſt ſimile proferri exemplum.

IV. Secundum: quia non poteſt de eodem dici Nomen & Denominatũ. Non. n. idem eſt lapis & lapideus: fides & fidelis: Grammatica & Grammaticus. Eſt vero Petra nomen, vnde Petrus denominatur. Itaque, perinde faciunt Papiſtæ, ac ſi quis diceret, Ariſtotelem eſſe Dialecticum: & Dialecticam eſſe organum ſcientiarum: ergo Ariſtotelem eſſe organum ſcientiarum. Tam enim differt Petrus à Petra, quam Dialecticus à Dialectica: nempe, quia vtraque ſunt παρώνυμα. Auguſtinus tract. 124. in Ioannem: *Eccleſia fundata eſt ſuper petram, vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, ſed Petrus à Petra: ſicut non Chriſtus à Chriſtiano: ſed Chri-*